Gk.lit. Hist. S.

DE DORIENSIUM LUDORUM IN COMOEDIA ATTICA VESTIGIIS.

DISSERTATIO

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

UNIVERSITATIS BASILIENSIS

PHILOSOPHORUM ORDINE RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ARNOLD VON SALIS

BASILIENSIS.

BASILEAE

EX OFFICINA E. BIRKHAEUSER

MCMV.

DE DORIENSIUM LUDORUM IN COMOEDIA ATTICA VESTIGIIS.

DISSERTATIO

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

UNIVERSITATIS BASILIENSIS

PHILOSOPHORUM ORDINE RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ARNOLD VON SALIS

BASILIENSIS.

BASILEAE

EX OFFICINA E. BIRKHAEUSER

MCMV.

Dissertatio probata est ab ordinis philosophorum sectione philologo-historica referentibus professoribus Kœrte et Muenzer

Basileae, Idibus Majis a. MCMV.

C. Joël, h. a. decanus.

ALFREDO KOERTE

SACRUM.

Poetas comicos Syracusanos constat fabulas suas memoriæ prodidisse multo ante comœdiam Atticam excultam ac arte perfectam; itaque haud ita improbabile videtur comœdiæ Atticæ poetas opera Epicharmi comicorum Siculorum illustrissimi in usum suum convertisse. Cui quidem opinioni nimis olim favebant omnes fere homines docti qui in historia comœdiæ græcæ explananda studium operamque collocabant. Welcker, Kleine Schriften I 341 sq. hæc monet „Dass ein grosser Teil der Erfindungen und guten Einfälle, sowohl im Mythischen als in den Charakterrollen und den Verwicklungen aus dem Privatleben, aus der Sicilischen Komödie schon in die alte Attische nach und nach und aus dieser weiter verpflanzt und fortgebildet worden ist, lässt sich nicht wohl bezweifeln.“ Paulum cautius hac de re iudicavit Lorenz, Leben und Schriften des Koers Epicharmos (Berol. 1864) p. 207 pronuntians „Der Zweig des komischen Dramas, wo man gewiss am wenigsten eine Einwirkung Epicharms erwarten und suchen würde, ist die alte attische Komödie, und doch scheint es, dass eine solche, wenn auch nur in geringem Grade, stattgefunden habe.“ Cratetem præsertim atque Pherecratem comœdiæ antiquæ poetas Epicharmi vestigiis institisse arbitratur p. 3. Eandem sententiam profitetur Bergk, Griech. Litt.-Gesch. IV 36. Sed argumenta quibus res probari potuisset præter unum Aristotelis (Poet. 1449 b 6) testimonium penitus deficiebant, ita ut Zielinski in libro cui inscripsit „Die Gliederung der altattischen Komödie“ p. 243 Epicharmi fabulas usque ad Platonis tempora Atheniensibus omnino ignotas fuisse censuerit.

At primus Kaibel, Hermes XXIV 54 adnot. argumentis docuit optimis Aristophanem poetæ Siculi opera non solum in manibus tenuisse, immo etiam imitando consecutum esse. Novum deinde exemplum addidit Crusius, Philologus vol. suppl. VI 292, qui tantam hac in re fiduciam ponit ut Epicharmo „tiefgehenden Einfluss auf das attische Drama“ velit adscribere. Etiam Wilamowitz, Textgeschichte der griech. Lyriker (Abhandlungen der Gesellsch. der Wiss. Göttingen IV N. F.) p. 25 antiquissimos iam comœdiæ Atticæ poetas fabulas Siculas respexisse verisimile ducit.

Ac fieri certe potuit ut poetæ Siculi fabulæ, quoniam litteris erant mandatæ, mature in Atheniensium pervenirent notitiam; cf. Bethe, Prolegomena zur Geschichte des Theaters im Altertum p. 62. Itaque Bernhardyum haud falso suspicari crediderim, qui in libro cui inscripsit „Grundriss der griech. Litt.“ II 2 p. 524 „seine (scil. Epicharmi) Komödien“, inquit „müssen früh durch die Schrift fixiert und nach Athen gelangt sein“, etiamsi eius argumentationem abnuendam esse hodie constat. Quod enim Zielinski l. c. 243 sibi persuasum habet Platonem demum Sicilia relicta sicut Sophronis mimos ita Epicharmi quoque fabulas Athenis vulgasse, ratione nititur admodum improbabili quam optimo iure Kaibel refutavit. Quo vero tempore Athenienses Epicharmi opera propius cognita habere inceperint, perspicere nullo pacto possumus. (cf. Diels, Die Fragmente der Vorsokratiker 92). Quæ Duemmler attulit ad rem inquirendam (Bonner Studien p. 88 sq. = Kleine Schriften III 315), cum nonnullas vasorum Atticorum picturas ortas — ut putat — initio fere quinti sæculi ex Epicharmi credit fabulis pendere, adeo sunt incerta ut Wilamowitz, Herakles I^2 99, 181 recte mihi videatur iudicare „F. Duemmler hat auf den Vasen Einwirkung Epicharms vermutet; das schwebt zur Zeit gänzlich in der Luft.“ Fabulas enim Epicharmeas Athenis in scena actas esse nemo erit qui credat, deinde quæ de choro Thebanorum Duemmler coniectat ab Epicharmo in scenam producto me quidem iudice stare non possunt, quoniam comœdiæ Siculæ chorum omnino deesse verisimillimum est, qua de re infra

dicam. Accedit quod Epictetum vasorum pictorem, quem Epicharmi inventis usum esse Duemmler arbitratur, poetam Siculum aetate antecedere omnes archæologi hodie mihi affirmabunt.[1])

Cum vero monumenta responsum nobis non reddant, quæstio pendet tota fere a fragmentis poetarum comicorum quæ ad nostram aetatem pervenerunt diligentius perscrutandis. Inquirentibus hancce rem optimum præsto est instrumentum, quoniam Georgius Kaibel Epicharmi reliquias egregie composuit atque illustravit.[2]) Itaque consilio commotus Alfredi Koerte omnia colligere mihi proposui Epicharmi vestigia quæ usque ad hunc diem in comicorum Atticorum operibus ab hominibus doctis observata sint, sperans fore ut augere etiam quodammodo contingat testimoniorum numerum. Cavendum solum est ne Epicharmi auctoritati ea quoque attribuamus elementa Dorica in comœdia Attica obvia, quæ ab arte quidem poetæ Siculi haud aliena esse, sed e communi potius fonte fluxisse videntur. Quapropter primum operam dedi ut ea quæ ludis Siculorum et Italorum cum comœdia Attica communia fuerint, scilicet ex priscis scurrarum iocis hausta, quantum fieri posset adumbrarem. Altero capite demonstrare conabor quid poetæ comici Attici ex Epicharmeis fabulis ad imitandum sibi sumpserint.

---

[1]) Movit iam scrupulum Studniczka, Archaeolog. Jahrbuch VI 1891 p. 261, 15.

[2]) Comicorum græcorum fragmenta ed. G. Kaibel. Vol. I fasciculus prior (Doriensium comœdia, mimi, phlyaces). Berol. 1899.

CAPUT I.

Comœdia Attica quid veteribus debeat iocis scurrilibus.

Ornatum histrionum Atticorum quales Aristophanis temporibus in scena agebant haud alienum fuisse a scurrarum Tarentinorum vestitu obscœno optime demonstravit A. Kœrte, Archaeologische Studien zur alten Komoedie (Arch. Jahrbuch VIII 1893 p. 61 sqq.). E nonnullis enim locis Aristophaneis efficitur ornatum scurrilem, quem ex vasculis fictilibus Tarentinis notum habemus[3]), phallo insignem, abdomine, podice ingentibus, Athenis quoque usitatissimum fuisse, itidemque amictum hunc singularem signa fictilia præstant plus centum necnon histriones depicti vasculi Attici (no. 1 Kœrte p. 69). Cum vero comœdiam Atticam antiquam scurris phlyacensibus innotuisse cogitari vix possit, necesse est eiusmodi ioci scurriles ex una eademque stirpe exstiterint. Quod mirum non est, dummodo illud teneas comœdiam Siculam et Italicam e Peloponneso prima cepisse incrementa; de origine ludorum Tarentinorum Peloponnesiaca conferas iam quæ disputavit Reich, Der Mimus I 496 sq. Etenim in ipsa Græcia ex antiquissimis temporibus mimologi phallophorici videntur egisse; Sosibius hæc exhibet apud Ath. XIV 621 f *τοῦ δὲ εἴδους τῶν δικηλιστῶν πολλαὶ κατὰ τόπους εἰσὶ προσηγορίαι. Σικυώνιοι μὲν γὰρ φαλλοφόρους αὐτοὺς καλοῦσιν, ἄλλοι δ᾽αὐτοκαβδάλους, οἳ δὲ φλύακας, ὡς Ἰταλοί, σοφιστὰς δὲ οἱ πολλοί· Θηβαῖοι δὲ καὶ τὰ πολλὰ ἰδίως ὀνομάζειν εἰωθότες ἐθελοντάς.* alii

[3]) Heydemann, Phlyakendarstellungen auf bemalten Vasen (Arch. Jahrb. I 260 sqq.).

ἰθύφαλλοι nominantur (ib. 622 b). In Corinthiis autem vasculis dæmones ipsi occurrunt Bacchi comites fertilitati faventes, quorum speciem histriones comicos imitari Kœrte docuit. (cf. etiam Lœschke, Athen. Mitth. XIX 1894 p. 510 sqq.)

Inde ludorum scurrilium usus in Siciliam migravit (Reich I 15 et 24); sed in Bœotia quoque vasculis testibus scurræ phallophorici videntur egisse (Kœrte, Athen. Mitth. XIX 346 sq.). Neque hoc hodie negari potest comœdiam Atticam



mimologorum Doriensium usum scurrilem recepisse, cum ioculatores Megaricos Athenas pervenisse admodum sit verisimile (cf. Wilamowitz, commentariolum metricum II 33, Bethe, Proleg. 49 et 64). Quibus perpensis comœdiæ Atticæ fabulas antiquissimas ludis Siculorum comicis affines fuisse licet existimes.

De comœdiæ Siculæ indole et incrementis quod tam pauca nec satis certa ad nos pervenerint testimonia magnopere sane dolendum est. Attamen lacunam quodammodo expleri posse arbitror iis quæ de Italiæ meridionalis ludis vasa picta nos docent. Necessitudines enim comœdiam inter Epicharmeam et Tarentinam artiores fuisse quam putabant olim

homines docti (e. c. Lorenz p. 211), argumenta nonnulla firmant hilarotragœdiæ quæ communia sunt cum Epicharmo. Etenim in rebus mythicis tractandis phlyaces illius fabulas propinqua videntur cognatione attingere.

Inter Epicharmeos quos tenemus titulos legitur *Ὀδυσσεὺς ναυαγός*; iamiam conferas picturam vascularem Heydemann p. 299, m: Ulixes naufragus, pileatus baculoque innixus a rege et regina — Phæacum ni fallor — hospitaliter excipitur. Accedit quod Oenonas mimus ille italicus quem produxisse constat Ulixis naufragi personam (*ὃς καὶ Κύκλωπα εἰσήγαγε τερετίζοντα καὶ ναυαγὸν Ὀδυσσέα σολοικίζοντα.* Ath. I 20a) phlyax putandus est, id quod demonstravit Reich I 233.

Eodem modo argumentum quod Epicharmi fabula *Σφίγξ* inscripta tractare videtur — quin Oedipodis illud fuerit factum (ita Lorenz p. 137) nemo erit qui in dubium vocet, quamquam ex iis quæ supersunt fructum capere non possumus — exhibet hilarotragœdia: pictura vascularis quam edidit Hartwig, Philol. vol. 56 tab. I Oedipodem monstrat baculo innixum qui Sphingem respicit rupe insidentem, mulierculam sane fœdissimam. Omnia ludum olent comicum, vestitus scurrilis, phallus, persona Oedipodis hircina magis quam humana, ipse vel apparatus scenicus. Sed quæ Hartwig inde p. 4 concludere vult, pictorem argumento alludere ab Attica tragœdia illustrato — Oedipodiam memorat Euripideam a phlyacibus ioculari modo retractato, magnam mihi afferunt dubitationem.



Ludificationem potius haustam esse arbitror ex mythorum numero popularium, quos optime in usum suum phlyaces convertere præclara docent exempla, ante omnia vas fictile Mon. d. inst. VI 35 quod vulgatam de Hercule Apollinis tripodem prædato narrationem ilocaliter immutare demonstravit A. Kœrte, A. J. VIII 88.

Deinde comœdia Sicula prorsus in phlyacographiæ modum obscœnitates captare videtur ac turpitudines, iocorum genus plebi acceptissimum. Syracusanos enim histriones eundem præstitisse ornatum atque Italiæ meridionalis scurras per se certe verisimile est; cum vero Zielinski (Quæstiones comicæ p. 37) velut apud Aristophanem sic apud Epicharmum phalli usum neget, necesse est hanc quoque rem breviter attingere.

Poetam Siculum ab obscœnitatibus nequaquam abhorrere vel in fragmentorum exiguitate nequit non intellegi.[4]) Qua ratione *ἄγκυρα* vox membrum genitale possit significare (fr. 191: Hesych. s. v. *τὸ αἰδοῖον παρὰ Ἐπιχάρμῳ*) perspicuum tibi fit si ancoræ iaciendæ usum reputas; translationi obscœnissimus subest sensus, cuius exemplum persimile habes in Aristophanis Thesmophoriazusis secundis fr. 317 (Kock), ubi vina enumerantur quæ erigant *τὸν ἔμβολον* (Hesych. s. v. *Ἀ. ἐν Θεσμοφοριαζούσαις τὸ αἰδοῖον*). Quæ vox omnia potest significare quæ immittuntur, inseruntur, imprimis vero rostrum quod navibus infigere solebant hostium: metaphora patet. Quin in Epicharmi dicto fr. 235 *γέρρα Νάξια* lateat obscœni quid haud dubium est; explicat rem Parœmiogr. App. I 72 *γέρρα Σικελοὶ λέγουσι τὰ ἀνδρεῖα καὶ γυναικεῖα αἰδοῖα. ἦν δὲ ἐν τῇ Σικελικῇ Νάξῳ τέμενος ἐπιθαλάσσιον Ἀφροδίτης, ἐν ᾧ μεγάλα αἰδοῖα ἀνέκειτο.* atque schol. Lucian. IV 219 Jac. *παρ' Ἐπιχάρμῳ μὲν γὰρ γέρρα Νάξια* (codd. *γερραι ναξια*) *καὶ εἴρηται ἐπὶ τῶν αἰδοίων.* Quod Crusius, Philol. vol. suppl. VI 284 testimonio nixus Etymologici m. 228 (*λέγεται δὲ γέρρα καὶ τὰ δερμάτινα αἰδοῖα*) ita accipiendum vult, ut poeta scurrilem ioculatorum ornatum derideret, locum memorans Nubium,

---

[4]) Cf. Crusius, Untersuchungen zu den Mimiamben des Herondas p. 129.

quo Aristophanes de comœdiæ suæ castitate locutus v. 537 sq. hariolatur

ὡς δὲ σώφρων ἐστὶ φύσει, σκέψασθ᾽ ἥτις πρῶτα μὲν
οὐδὲν ἦλθε ῥαψαμένη σκύτινον καθειμένον,
ἐρυθρὸν ἐξ ἄκρου, παχύ, τοῖς παιδίοις ἵν᾽ ᾖ γέλως.

ubi optime exhibet scholiasta: *εἰσῄεσαν γὰρ οἱ κωμικοὶ διεζωσμένοι δερμάτινα αἰδοῖα.* Eisdem verbis designari vides mimorum vestitum scurrilem vel quinto p. Chr. sæculo in scholio ad Gregorium Nazianzenum a Reichio (I 502) adumbrato ubi legimus *περὶ δὲ τοῦ φαλλοῦ ἤδη εἰρήκαμεν ἐν τῷ πρώτῳ λόγῳ, ὅτι ἀκάθαρτός τις ἦν αἰδοῖον ἔχων αἰσχρόν, ᾧ ὁμοιοῦσι νῦν οἱ μῖμοι δερμάτινον, ὃ καλοῦσι φαλητάριον. καὶ τοῦτο ἔχουσιν ἐν τοῖς Διονυσίοις, φοροῦντες ἐν παιγνίοις κτλ·* Itaque suo iure Crusius videtur iudicare „auf ein ähnliches Kostüm könnte man die Epicharmstelle beziehen," sed valde dubium est quod inde concludit „dem vornehmen Manne könnte man eine Polemik gegen seine plebejischen Kunstgenossen — die improvisierenden *φλύακες*, deren Treiben uns die von Heyd. gesammelten Vasenbilder lebendigst vergegenwärtigen — wohl zutrauen." Invectum esse nostrum in morem illum scurrilem e duobus quæ supersunt verbis nullo pacto efficitur; sed potuit commemorare necnon iocülariter monstrare instrumentum phallicum, sicut crebrius fit in comœdia Attica antiqua. cf. Ar. Lys. 985 ubi probulus membrum legati Lacedæmoniorum hastam appellat:

κἄπειτα δόρυ δῆθ᾽ ὑπὸ μάλης ἥκεις ἔχων;

atque paulum infra phallus intelligendus est sub clava; v. 991

τί δ᾽ ἐστί σοι τοδί; — σκυτάλα λακωνικά.

(schol. *τὸ αἰδοῖον δείκνυσι*). Quam propinqua cognatione hic iocus Epicharmi attingat *γέρρα Νάξια* apparet necnon *γέρρον* pro membro dictum fortasse simillime poterat excipi; nempe *γέρρα* „acuti pali" sunt erecti quibus præfixis castra munibant (cf. Pherecr. fr. 17 *γέρροις ἀποσταυροῦνται* et Eupol. fr. 405 *γέρροιν ἀποσταυροῦν*). De sensu metaphorico uberius loqui

tædet. Refertissimæ erant scurrilibus eiusmodi dicteriis fabulæ comicorum Atticorum *φορτικαί* (cf. Kœrte l. c. 65), genus quod Doriensium iocis frigidis ineptisque affine fuisse probabile est. Ipsa *φόρτος* vox usurpatur præcipue de inficetis verborum ludis (Meineke, hist. crit. 222 sq.) et inter *ἄνδρας φορτικούς* quales Aristophanes perstrinxit in Nubibus v. 524 insulse ioculantes habetur Archippus (cf. schol. Ar. Vesp. 550), quem nimie ex amphibolia lusisse scimus; in ipsis quæ supersunt poetæ fragmentis obsoletum hunc iocorum usum investigavit Kaibel, Hermes XXIV 49. Cohærent nimirum megarici quos dicebant ioci cum histrionum ornatu phallophorico et obscœnis gestibus ab hoc comœdiæ genere dilectis[5]); novæ quidem comœdiæ, quæ scurrilem amictum amovit, ambiguæ quoque facetiæ fere alienæ sunt. Sed ambiguitates istas re vera ex priscis Megarensium ludis fluxisse licet credere; exemplum enim mihi præsto est comœdiæ cum Atticæ tum Siculæ proprium. Eidem certe atque ineptiæ modo allatæ generi adnumeranda est *χοῖρος* vox quæ et porcum significat et pudendum muliebre. Duplex hic usus invenitur in Acharnensium scena lepidissima v. 729—835, qua mercatorem Megaricum filias sub porcorum specie venditaturum in ambiguo ludere intelligeremus etiamsi scholia[6]) deessent. Ludis scurrilibus peculiarem fuisse hancce vocabuli *χοῖρος* vim efficitur fortasse ex v. 767

τουτὶ τί ἦν τὸ πρᾶγμα; — χοῖρος ναὶ Δία.
— τί λέγεις σύ; ποδαπὴ χοῖρος ἥδε; — μεγαρικά.

siquidem hic usum metaphoricum recte perspicio quem adumbravit Wilamowitz, Hermes IX 319 sq. et Eur. Her. [1] I 52, 10.[7]) Sed premere hoc nolim. Maioris haud dubie momenti

[5]) Cf. Eupol. frg. 244, explicatum a Wilamowitzio, Hermes IX 328

[6]) Schol. v. 773, 781, 792, 794. Num in Aristophanis frg. 578 *χοιροπῶλαι* vocabulo simile quid subsit discerni nequit.

[7]) „Die attischen Komiker des 5. Jhs. wenden *Μεγαρικὸν ᾆσμα, Μεγαρικὴ κωμῳδία, σκῶμμα Μεγαρόθεν κεκλεμμένον* durchaus nur metaphorisch an, so wie wir noch heute „boeotisch“ und „attisch“ als Gegensätze brauchen.“

est, quod unicam huius ioci analogiam Epicharmus præbet, cui Kaibel fr. 238

ἁ Κορινθία, ἔοικας χοιροπωλήσειν

iure haud dubie addicit, cum tetrametri initium videatur trochaici. Quomodo locus intelligendus sit docet prov. Laur. I 92 *ἐπὶ τῶν παρ᾽ ὥραν θρυπτομένων γυναικῶν, οἷον ἔοικας μισθαρνήσειν ἐν Κορίνθῳ· τὸ γὰρ γυναικεῖον μόριον χοῖρος λέγεται.* Corinthia mulier quæ porcum quæstui habere dicitur meretrix est cuivis impudenter sese offerens sive lena quæ in eadem sordida versatur arte qua Aristophaneus pater lenonius (Ach. 767 *χοιροπώλας μεγαρικός*).

Quæ si recte disputata sunt nulla est dubitatio quin Siculæ quoque comœdiæ hæc fuerit indoles ut fabulis inspergeret impudicas ambiguasque facetias phallophoris optime convenientes, quales Aristophanes ut insulsissimi comœdiæ megaricæ generis proprias vituperabat, sed nequaquam aspernabatur. Accedamus nunc ad ipsa ludorum argumenta comparanda et ea quæ comœdiæ palæatticæ cum Doriensium ludis communia fuerint quantum fieri poterit illustranda.

I.

Comicorum Atticorum fabulæ similiter atque comœdia Dorica actiones captare solent simpliciores vilesque quales cotidianæ vitæ usus offerebat. Phlyacographiæ enim cardo præcipue videtur versari in erroribus vitiisque quæ in hominum moribus posita sunt deridendis, cum plurimæ quas notas habemus picturæ vasculares huiusmodi repræsentare velint scenas ioculares (Heydemann p. 268). De comœdia Epicharmea difficile dictu est quousque hoc iocandi genere usa sit, quoniam tam exigua ad nos pervenerunt pœtæ Siculi fragmenta. Quibus in reliquiis non desunt tamen talis ludificationis vestigia, frequentissima sunt in comœdia Attica antiqua. Velim animum attendas ad scenas illas ludicras in fabulis Aristophaneis post parabasim sitas, de quibus sagacissime egit Poppelreuter in dissertationis de comœdiæ Atticæ primordiis (Berol. 1893) particula altera p. 23 sqq. Cui comœdiæ parti id est proprium ut nonnullæ personæ quales in ludis popularibus introire solent ordine soluto proferantur. Artem mimologorum sapere hancce fabulæ instituendæ rationem, quæ in Aristophanis Acharnensibus Pace Avibus Ecclesiazusis Pluto fit obvia, luce clarius est; nempe Athenis quoque mimos *γελοίων* in deliciis fuisse facile concedes (cf. Reich I 313 sq. 686 sqq.). Quæ personæ scurriles ab Aristophane illustratæ, scilicet agricolæ servi venditores fabricatores, proximæ iis videntur cognatæ quas apud Dorienses in usu fuisse demonstravit Zielinski, de comœdiæ Doricæ personis (Quaest. com. 37 sqq.). Omnino scenas istas episodicas Doriensium ludis originem debere coniectaverunt iam Zielinski, Gliederung der altattischen Komoedie p. 244, Zacher, Wochenschrift f. klass. Philol. 1886 p. 1611 sq., Poppelreuter p. 44 sq. Etenim non abest suspicio quin scenæ de quibus agitur ludicræ tamquam inter-

mezzi Italorum fabulæ contextum ac firmiorem structuram turbantes pedestrem initio sermonem præstiterint sicut Doriensium ludi mimici. (Wilamowitz, comment. metr. II 33.) Nam dicelistas Lacedæmoniorum humiliter ioculantes pedestri usos esse oratione compertum habemus ex Ath. XIV 621 a *ἐμιμεῖτο γάρ τις ἐν εὐτελεῖ τῇ λέξει κλέπτοντάς τινας ὀπώραν κτλ.* atque eadem res est in autocabdalis, de quibus hæc habet Ath. XIV 15 *οἱ αὐτοκάβδαλοι καλούμενοι, ἐστεφανωμένοι κιττῷ σχέδην ἐπέραινον ῥήσεις. ὕστερον δὲ ἴαμβοι ὠνομάσθησαν αὐτοί τε καὶ τὰ ποιήματα αὐτῶν.* Haud aliter phlyaces ex tempore egisse optimis rationibus probabile fecit Vœlker (Rhinthonis fragmenta, Diss. Hal. 1887 p. 8). Comœdia Sicula quin similiter ex arte autoschediastica prima ceperit incrementa vix potest ambigi, quia Epicharmus demum fabulas litteris mandavisse videtur. (Wilamowitz, Herakles I 52.) Quando vero in Attica trimeter iambicus scenarum ludicrarum potitus sit, numquam fore ut perspiciamus libenter Poppelreutero concedo.

Conveniunt deinde cum Doriensium ludis scenæ fabularum Atticarum episodicæ in ipsis rebus quas ludibrio habent. Inter *σκώμματα* illa *μεγαρικά,* quibus refertissimæ solent esse partes in operibus Aristophaneis ludicræ, principatum ut ita dicam tenet scena quam supra memoravi Acharnensium. Quæ megaricus ille venditor fatur cum ad fallaciam animum appellit puellarum in porcos mutandarum v. 738

ἀλλ' ἔστι γάρ μοι μεγαρικά τις μαχανά,

ad iocum spectare videntur scurrilibus ludis antiquitus probatum; profitentur hanc explicationem Studniczka, Arch. Jahrb. VI 261 et A. Kœrte, ib. VIII 65. Etenim Pherecratis versum frg. 102 *ὡς οὐχὶ τουτὶ ῥύγχος ἀτεχνῶς ἐσθ' ὑός* similem significare posse fraudem observavit iam Kock I 173. Quin doli huiusmodi crebrius prolati sint in comœdia antiquissima non dubito, neque Studniczkæ (A. J. VI 258 sq.) opinionem per se refellendam esse censeo, cum picturam pateræ atticæ cuiusdam Cære repertæ, Epicteti artem pin-

gendi quæ appropinquat, argumentum quoddam illustrare existimet a ludis scurrilibus excultum, etiamsi ipse scurrarum ornatus deest atque ea quæ de Epicharmo huiusmodi rei inventore Studniczka p. 261 profert nimis incerta habenda sunt. Mercurius depictus est palliatus, pileo caduceo calceis alatis insignis, aræ adducens canem sed qui porci pelle latet.[8]) En habes fraudulentissimum deorum fabricam fingentem ab ea mercatoris megarici haud ita alienam. Sed ipsæ comicorum Atticorum quæ exstant reliquiæ exempla nobis præbent præclara. Acharnensium enim loci miram gerit similitudinem scena quæ legitur in Aristophanis Thesmophoriazusis, qua Micca mulier utrem vini ad vulgum decipiendum ita ornat ut infans esse videatur, quam fallaciam Mnesilochus deinde v. 733 utre surrepto detegit exclamans

τουτί τί ἔστιν; ἀσκὸς ἐγένεϑ' ἡ κόρη
οἴνου πλέως καὶ ταῦτα περσικὰς ἔχων.

Tum persimillimam atque in Acharnensibus et Thesmophoriazusis μετασκευὴν fieri in Cratini fabula quæ Διονυσαλέξανδρος inscribitur ex iis quæ hypotheseos nuper repertæ columna altera narrat optime demonstrarunt Grenfell et Hunt, papyri illius editores.[9]) Bacchus enim Helenam quam in Idam montem deduxit, de invasione certior factus Achivorum atque timido animo ad Paridem profugus pastorem, in cavea abscondit in avem mutatam, seu anserem seu gallinam (Kœrte p. 484), tum ipse ut arietem sese exornat:

κ(αὶ) τὴν μ(ὲν) Ἑλένη(ν)
εἰς τάλαρον ὥσπ[ερ χῆνα
κρύψας ἑαυτὸν δ' εἰς κριὸ(ν)
μ(ε)τ(α)σκευάσας ὑπομένει
τὸ μέλλον.

---

[8]) Quod negari nullo modo potest; dubitationem quam tulit Klein, A. J. VIII 140 (Antike Übermalungen) sufficienter mea quidem sententia redarguit Studniczka ib. 144.


[9]) The Oxyrhynchos Papyri IV London 1904 p. 60 sqq. cf. Wilamowitz, Goett. g. Anzeigen 1904 p. 655; A. Kœrte, Hermes XXXIX 481 sqq.; Croiset, Revue des études grecques XVII 297 sqq.

Cui hæc legenti non in mentem veniunt puellæ in porcos mutatæ, quæ in hac quoque re consentiunt cum Dionysalexandri scena, quod ipsam vocem imitentur animalem: sicut enim puellæ patris secutæ præceptum[10]) grunnitui student *κοῒ κοΐ* clamantes (760, 801 sq.) ita Bacchus quoque arietis vice prodiens

βῆ βῆ λέγων βαδίζει (frg. 43).

Quantopere comœdia popularis imitatione diligat assequi voces animales notum est (cf. Reich, Mimus I 419).

Iam vero, quod summi mihi videtur momenti, ioco persimili comœdiam uti phlyacensem testimonio est cratera Camarinæ re-



perta Heyd. p. 280, X. Eurystheus corona sceptro pallio regali insignis, in sella sedens lætissime accipit Herculem qui grandi procedens passu in caveis de arcu suspensis regi apportat homunculos duos simiarum similes sive potius simias, nam minores sunt nigroque colore depicti (cf. Reich I 509). Quin hoc parodia sit Cercopum mythicorum ab Hercule captorum dubium esse nequit[11]): Eurystheus rex stultissimus, quem Herculi negotium imposuisse crediderim Cercopum captan-

[10]) v. 746 *ὅπως δὲ γρυλλιξεῖτε καὶ κοΐξετε χήσεῖτε φωνὰν χοιρίων μυστηρικῶν.*

[11]) Negat Seeliger ap. Roscher, Lexikon der gr. und roem. Mythologie II. 1. 1172, Pygmæos depictos esse existimans; sed Pygmæi deformem habent adspectum ab eo simiarum nostrorum diversissimum. cf. Baumeister, Denkmäler II 1428.

dorum, ab illo decipitur quippe qui sollicitudine sese deliberat simias domum referens dæmonum loco.[12])

Nec Bacchus ille Aristophaneus, qui Herculis vestitu sumpto, leonis pelle clavaque, alios fallere conatur, exemplo caret phlyacensi: nempe servus mihi in animo est vasculi Heyd. p. 303, t, ævo grandior qui Antigonæ ornatu latens detracta muliebri persona deprehenditur, quocum ioco Heydemann optime iterum confert Mnesilochum Thesmophoriazusarum veste occultatum feminea.

In Epicharmi fabula *Ὀδυσσεὺς αὐτόμολος* inscripta artificium simulationis eiusdem generis atque Herculis illud Cercopes falsantis exstare putat Duemmler, Bonner Studien 88; coniectat enim vir doctus Ulixem, ut invento suo fidem faciat, palladii imaginem ipsum effingere — commentum sane ingeniosissimum, sed fabulam *Τρῶες* inscriptam cuius frg. 131


ἐκ παντὸς ξύλου
κλοιός τε κα γένοιτο κῄκ τωὐτοῦ θεός

ad fallaciam aliquam spectare posse non nego, eandem esse ac Ulixem transfugam, sicut D. arbitratur, argumentis firmari nequit. Nihilominus Ulixes Epicharmeus ignavissimus qui exploratoris negotium a commilitonibus sibi mandatum ita conficit ut mendacia suis proloquatur facinus periculosum sese perpetrasse iactans, ad hoc certe genus pertinet (cf. Gomperz, Pap. Erzherz. Rainer V p. 1). Versatur igitur omnium quos contemplati sumus iocorum cardo in fraudibus dolis, fallaciis hominum deridendis.

---

12) Ita rem sibi explicaverunt iam Panofka, Ann. dell Inst. arch. XIX 221, Jahn, Archæol. Beiträge 436 sq. Quibus perpensis haud male tibi placebit Heydemanni sententia „Herakles aber konnte statt der „Schwänzlinge" um so leichter Affen bringen, da man unter dem Namen ja auch Affen verstand." (cf. e. c. Hesych. s. v. *Κέρκωψ*.) Recorderis quæso ambiguum verborum lusum simili in Acharnensibus officio satisfacientem. Sed — caudæ desunt. Licet quidem diffidas testimonio imaginis quam tibi proponimus utpote nimis leviter delineatæ; vasculum hodie ubi sit nesciunt (cf. Rizzo, Roem. Mitth. XV 268), quod magnopere sane dolendum est.

Qua in re præisse videtur comœdiæ et Atticæ et Italicæ vetus ludorum Peloponnesiacorum consuetudo fures versutos ac omnino populi ut ita dicam fæcem valde diligentium (Reich I 26). De Lacedæmoniorum dicelistis memoriæ prodit Sosibius apud Ath. XIV 621 d e *παρὰ δε Λακεδαιμονίοις κωμικῆς παιδιᾶς ἦν τις τρόπος παλαιός, ὥς φησι Σωσίβιος, οὐκ*



ἄγαν σπουδαῖος, ἅτε δὴ κἀν τούτοις τὸ λιτὸν τῆς Σπάρτης μεταδιωκούσης. ἐμιμεῖτο γάρ τις ἐν εὐτελεῖ τῇ λέξει κλέπτοντάς τινας ὀπώραν ἢ ξενικὸν ἰατρὸν τοιαυτὶ λέγοντα, ὡς Ἄλεξις ἐν Μανδραγοριζομένῃ διά τούτων παρίστησιν κτλ. Eisdem vero argumentis phlyacographiam operam dare optime monet Bethe, Proleg. 56, nam escas surripientes non desunt in Tarentinorum ludis. Vas pictum inspicias quæso Heyd. p. 273, D: Charidem et Philotimidem cibo dum delectantur decipit Xanthias servus libum quem iis furatus est in veste abscondens; furem itidem libo surrepto deprehensum vides

Heyd. p. 285, s. Quem in modum coniicias Peloponnesiacorum sese gessisse *κλέπτοντας* illos *ὀπώραν* (cf. Vœlker, Rhinthonis fragm. p. 4). Num in Epicharmi iis quæ supersunt vestigia liceat eiusmodi ioci intelligere, ambiguum est; Crusius, Philol. vol. suppl. VI 290 proverbialiter illud dictum *Σικελὸς ὀμφακίζεται* quod nobis tradit Zenob. Ath. III 133 *μετενήνεκται δὲ ἀπὸ τῶν Σικελῶν, τὰς ἀβρώτους ὄμφακας κλεπτόντων. μέμνηται ταύτης Ἐπίχαρμος.* ita explicavit: „ich denke, es steckt dahinter eine jener mimenartigen, improvisierten Scenen der dorischen Posse, wie sie Sosibios schildert," sed cf. Kaibel ad frg. 239. Atticæ vero comœdiæ si attente perlegis fabulas haud certe te fugiet quam crebri vel in antiquissimis ioci exstent persimiles. Aristophaneæ quidem fabulæ fraudes nonnumquam præstant, quæ cum additamenta videantur nequaquam necessaria, interludii vice fungi debent. Exempli causa: in Acharnensibus Odomantes in concionem Atheniensium producti Dicæopolidi allium (*τὰ σκόροδα*) quod secum portarat surripiunt atque comedentes deprehenduntur v. 164 sq. Cuius usus exempla plura repetere non lubet; abundat maxime talibus delectamentis Aristophanis fabula Equites inscripta.

Alteram personam dicelistis Lacedæmoniis adamatam, medicum dico peregrinum, hunc in modum hariolari refert Athenæus l. c. *ὡς Ἄλεξις ἐν Μανδραγοριζομένῃ* (frg. 142 Kock) *διὰ τούτων παρίστησιν·*


ἐὰν ἐπιχώριος
ἰατρὸς εἴπῃ „τρύβλιον τούτῳ δότε
πτισάνης ἕωθεν," καταφρονοῦμεν εὐθέως·
ἂν δὲ „πτισάναν καὶ τρύβλιον," θαυμάζομεν.
καὶ πάλιν ἐὰν μὲν „τευτλίον," παρείδομεν·
ἐὰν δὲ „σεῦτλον," ἀσμένως ἠκούσαμεν·
ὡς οὐ τὸ σεῦτλον ταὐτὸν ὂν τῷ τευτλίῳ.

Pœta igitur medicis alludit qui alieno utuntur sermone ideoque ægris credulioribus admirationem sui ac profundæ scientiæ suæ inicere solent. Iam vero Cratetem videmus, comœdiæ

antiquæ poetam, medicum inducere, qui artificia sua invalido cuidam commendare videtur dorice loquens: frg. 41

ἀλλά σικύαν ποτιβαλῶ τοι, κανατάλὶ̣ς) ἀποσχάσω.*

Venio ad aliam rem quæ Doriensi et Atticæ comœdiæ communis est. Picturæ vasculari Heyd. p. 283, R commune esse aliquid cum Ranarum prologo iamdudum constat liceatque mihi in imagine describenda brevis esse: Hercules scurrili vestitu ornatus arcum et leonis pellem portans ostium ædificii cuiusdam vehementissime clava pulsat; herum sequitur ser-



vulus mulo vehens sarcinamque ampliorem, onus certe gravissimum, feretro furcillato sustinens. Ipsam hic Ranarum scenam illustrissimam repræsentatam esse homines docti olim sibi persuasum habebant, sed erraverunt; rectam viam ad vasculum explicandum iniit primus Dierks (cf. Kœrte A. J. VIII 61 et 87). Attamen non negligere præstat similitudines haud spernendas (Bethe, Proleg. 63) atque summum pondus tribuere velim servo sarcinario asino insidenti, quippe qui persimilis est Xanthiæ Bacchi servo de onere conquerenti verniliter. Bajulos tales humiliter iocantes magnas partes sustinuisse in comœdia palæattica, haud ita pauca firmant testimonia. *φόρτακας* eos nominari in antiqua comœdia narrat Pollux

*) *καΐ κα λῆ̣ς* Kaibel ad Poll. IV 183 (ed. Bethe).

VII 132 (Kock III 418). In Ranarum prologo Xanthias ægre fert domini interdictum ne in ineptias descendat bajulorum tritissimas (v. 13)

> τί δῆτ' ἔδει με ταῦτα τὰ σκεύη φέρειν,
> εἴπερ ποιήσω μηδὲν ὧνπερ Φρύνιχος
> εἴωθε ποιεῖν καὶ Λύκις κἀμειψίας;

quem ad locum adnotat schol. 15: καὶ οὗτοι οἱ τρεῖς κωμικοί εἰσι ποιηταί, σκευοφοροῦντας εἰσάγοντες ἐν ταῖς κωμῳδίαις καὶ αἰσχρὰ ποιοῦντας. Nihilominus ipse Aristophanes a consuetudine quam ut probrum obiicit æmulis nequaquam desistens in Thesmophoriazusis secundis fr. 323 servum facit querentem

> ὡς διά γε τοῦτο τοὔπος οὐ δύναμαι φέρειν
> σκεύη τοσαῦτα καὶ τὸν ὦμον θλίβομαι.

In Taxiarchis Eupolidis ipse Bacchus deus mollissimus in Phormionis castra profectus hoc munere fungitur urnam ahenumque portans (fr. 256), atque optime quadrat quod illa in fabula appelletur aliquis *σκευοφοριώτης* (fr. 264). Habes denique inter signa fictilia quarti vel quinti sæculi, quæ ante oculos nobis ponunt histriones comicos Atticos, servos haud ita paucos sarcinam (Kœrte no. 39, 44, 45, 46, 48) aut simile quid *σκευοφοροῦντας*, eosque servile hoc munus ægre ferre apparet; cf. Kœrte p. 74. Vas quoque pictum Petropoli quod conservatur (ib. p. 76, no. 1) histriones aliquot exhibens actionem parantes ac inter sese colloquentes, servum monstrat sarcina insidentem pergrandi, progastridio insignem phalloque pendenti maximo, feretrum manu tenentem quod arcuatim incurvatum est. Sed revertamur ad phlyaces. Etenim aliud exemplum quod miram Ranarum prologi similitudinem speciemque gerere homines doctos hucusque videtur fugisse, præbet Heyd. p. 287, X: Chironem vides (*Χίρων* adscr.) senem viribusque defectum monstrosa persona insignem ædificii cuiusdam scalas ascendentem maximo labore necnon servo a tergo pulsante; in summa autem scala stans Xanthias (*[Ξαν]θίας*) herum sursum trahere studet („nicht gerade behutsam, sondern

echt komisch-tölpelig“ Heyd.) depositis quæ ei in ope ferenda impedimento essent sarcina gravi, pileo, feretro. Adulescentulus Chironem prosequitur haud dubie alumnus eius. Cuius rei spectatrices sese præbent nymphæ duæ (*Νύ*[*μφ*]*αι* adscr.) turpissimæ, quæ a dextra sedent terræ lineamentis per partes obtectæ. Scena quid sibi velit optime mea quidem sententia explicavit Heydemann (p. 268 et 288) „eine Badereise des erkrankten alten Chiron“ intellegens, cui explana-



tioni fidem firmare potest nympharum præsentia. Iamiam propinquam reputes velim argumentorum cognationem: Bacchus ad inferos descendit Euripidem carissimum recuperaturus defunctum atque itineris ei socius et comes est Xanthias servus sarcinas sustinens — Chiron infirmus ad balneas proficiscitur valetudinem recuperaturus amissam eumque comitatur Xanthias servus itidem sarcinarius. Ecce Xanthiæ nomen commune et Atticæ et Tarentinæ comœdiæ. Occurrit nobis servus hoc ipso nomine præditus in plurimis fabulis Aristophaneis, cum in transcursu solum — in Acharnen-

sibus (Dicæopolidis servus in solemni illa pompa procedens phallum erigens X. nominatur v. 243), in Nubibus (X. Strepsiadem adiuvat dominum in Socratis museo delendo v. 1485), in Avibus (X. et Manodorus servi Peisthetæri in scenam prodeunt stragula portantes v. 656) — tum maiores partes agens atque calliditate necnon fallacitate sua interdum excellens, in Vespibus dico, ubi ad omnia præsto est Philocleoni hero, imprimis autem in Ranis. Nimirum noster in eorum servulorum est numero quos ipse Aristophanes alio loco utpote nimias in fabulis partes agentes e comœdia eiecisse sese gloriatur una cum Herculibus illis esurientibus; Pac. 742

καὶ τοὺς δούλους παρέλυσεν
τοὺς φεύγοντας κἀξαπατῶντας καὶ τυπτομένους ἐπίτηδες.

Unde efficitur permagni fuisse momenti in comœdia antiquissima servorum illorum genus neque dubito quin Doriensium iam peculiare fuerit ludis. Eundem enim Xanthiam dolosum reperimus in Tarentinorum ludo: servo vasis supra memorati (Heyd. D) herum heramque decipienti nomen adscriptum est *Ξανθίας*. Personam typicam fuisse phlyacographiæ inde apparet quod servus Chironis itidem *Ξανθίας* nominatus eandem plane personam habet, quod iam observavit Heydemann, cf. Hall. Winckelm. — Progr. 1884 p. 6. Tanta denique in gratia fuisse videtur hæc persona ut vel in Oscorum



transiret ludum, si quid auctoritatis inest imagini Heyd. p. 292, c: depictus est histrio chitone indutus fimbriato, braccato, baculo innixus, cui nomen adscriptum est oscis litteris incisis Santia quod idem est ac nomen servile illud græcum (Zielinski, Quæst. com. 36). Vestitus certe abhorret a phlyacum usu, sed persona mire similis est Xanthiæ vasculorum: supercilia conferas magnopere incurvata, nasum collisum, calvitiem comæque parca residua, barbæ formam, os dilatatum. Cum vero pictura nilnisi figuram præbeat immotam, concludere licebit personam hic repræsentari pervulgatam typicamque.

II.

Quantopere Epicharmus sese applicuerit ad ludicram fabularum mythicarum tractationem notum est; deos enim atque heroes videtur induxisse humanis penitus affectos moribus vitiisque, vitæ voluptariæ nimis servientes, maximo cibi potionisque desiderio naturali deditos. Nec ipsi pepercit deorum patri, quippe qui in sumptuosa illa nuptiarum cena piscem cui *ἔλοψ* nomen est, rarissimum pretiosissimumque, cuius unum tantummodo adest exemplar, sibi atque coniugi suæ iubet reponi (frg. 71). Sed Epicharmum primum res mythicas in lusum iocumque convertisse nemo erit qui credat atque optime de comœdiæ mythologicæ incrementis iudicavit iam Munk, de fabulis Atellanis (1840) p. 84 „Ridicula conversio tragicarum rerum apud Siculos et Italiæ inferioris incolas iam ex antiquissimis temporibus exstitit, neque invenit Epicharmus mythicarum rerum ridiculam descriptionem, sed primus fuit qui eam excolebat.“

Neque hoc homines doctos fugit in ipsa Græcia ortum esse usum illum res et personas mythicas easque per se graves ludibrio habendi. Fabula Epicharmea *Κωμασταὶ ἢ Ἅφαιστος* inscripta quonam in argumento versata sit demonstrat Photius Lex. 74, 1 *Ἥρας δεσμοὺς ὑπὸ υἱέος, πολιτείας β′* (Plato II 378 d) *οὕτω γραπτέον. παρὰ Πινδάρῳ γὰρ ὑπὸ Ἡφαίστου δεσμεύεται ἐν τῷ ὑπ᾽ αὐτοῦ κατασκευασθέντι θρόνῳ. ὅ τινες ἀγνοήσαντες γράφουσιν „ὑπὸ Διός,“ καὶ φασὶ δεθῆναι αὐτὴν ἐπιβουλεύσασαν Ἡρακλεῖ. Κλήμης. ἡ ἱστορία καὶ παρ᾽ Ἐπιχάρμῳ ἐν Κωμασταῖς ἢ Ἡφαίστῳ.* Fabulæ rationem ignoramus, e priori tamen tituli parte hoc fere concludere licet, Vulcani eiecti in Olympum reditum cum thiaso bacchico propositum

fuisse.[13]) Eandem materiam comice iam tractat pictura vasculi cuiusdam Corinthici Athenis hodie conservati quod sexto a. Chr. sæculo adscribitur[14]): Vulcanum deum claudicantem qui negligentius in equo vehitur vinumque haurit Bacchi comites circumstrepunt solutissimi, phallis maximis insignes. Nimirum scenæ huiusmodi iocosæ ludorum scurrilium in se habent semen ac stirpem.

Usum istum Peloponnesiacum receperunt scurræ Siculorum et Italorum, itidemque videtur in Bœotiam migravisse. Nempe picturæ vasorum fictilium, quæ Thebis reperta sunt, quarto a. Chr. sæculo fabricatorum eadem plane exhibent ludificationis elementa, nec ullum est dubium quin scenæ hæ ridiculæ ad ludos spectent in Bœotia usitatos. Etiamsi enim phallophori quales videmus depictos ventriosi ac ingenti podice insignes non prorsus histriones videntur repræsentare (Kœrte, Athen. Mitth. XIX 1894 p. 349), ludos tamen scurriles Bœotorum in iisdem fere argumentis versari veri est simillimum (Walters, Journal of Hell. studies XIII 87; Bethe, Proleg. 59). Habes inter picturas hasce Cabiro consecratas (cf. Winnefeld, A. M. XIII 412 sq.) exempla quædam quæ ad phlyacographiæ argumenta mire accedunt. Quapropter concludere licet et scurrarum Bœotiorum et phlyacum Tarentinorum eiusdem stirpis fuisse mythorum tractationem ludicram. Sed ex eodem fonte hausit comœdia Attica antiqua, quam mature argumentis mythicis usam esse hodie constat inter omnes (Kaibel, Herm. XXX 74, Kœrte ib. XXXIX 486 sq.).

In fabulis Atticis eædem personæ risum movent atque in Doriensium ludis, præcipue Bacchus (Kœrte p. 488), Hercules, Ulixes. De Herculis persona in poetarum comicorum fabulis percrebro obvia vereor ne nimis trita moneam. Heros ille Doricissimus apud phlyaces magnas partes egisse videtur; conferas picturas vasculares Heyd. M, N, R, f, p, q,

---

[13]) Hauler, Xenia Austriaca I 89, Wilamowitz, Nachr. der Gœttinger Gesellsch. 1895. 218, Reich, Mimus I 543, 2.

[14]) cf. Lœschcke, korinthische Vase mit der Rückführung des Hephaistos (Athen. Mitth. XIX 1894 tab. VIII p. 510 sqq.).

quibus novum addidit exemplum Rizzo, Rœm. Mitth. XV 1900 p. 261, tab. VI. Vides eum ædificii cuiusdam ostium ferociter pulsantem (R), Eurysthea regem Cercopibus falsatis decipientem (N), arcum ab Apolline sibi surreptum subdole recuperaturum (q), Iovem, qui in altissimo sedet solio minaci vultu fulmen torquens, in ipsa immolatione libo emungentem (p), puellæ lascive manus afferentem (M), cauponam prose-



quentem lautitiarum studiosum (f). Accedit Rhinthonis fragmentum ex fabula *Ἡρακλῆς* inscripta (fr. 3 Kaibel):

ἐν ὑστιακῷ τε καθαρὸν ἐλατῆρα . .
καθαρῶν τ᾽ ἀλήτων κἀλφίτων ἀπερρόφεις.

increpatur quidam propter voracitatem ac petulantiam, nimirum ipse Hercules quem vinum et cibos cuiusdam, fortasse cauponæ sicut in Ar. Ranis v. 549 sq., coniicias devoravisse.

Similiter in Epicharmi fabulis heros noster voracissimus maiores videtur partes egisse; introduxit eum poeta Siculus tamquam insatiabilem et gulæ magnopere deditum in fabulis *Βούσειρις* et *Ἥβας γάμος* inscriptis, Centauri convivam in

Ἡρακλῆς ὁ παρ Φόλῳ, pericula subeuntem in *Ἡρακλῆς ὁ ἐπὶ τὸν ζωστῆρα*. Iam vero idem Hercules scurrilis occurrit in ipsa Græcia; habes enim eum clava et leonis pelle insignem in Bœotorum ludis (Bethe, Proleg. 59). Deinde Atticæ quoque comœdiæ primordiis iam innotuisse Herculem voracem apparet, cum Aristophanes in Pacis parabasi glorietur Hercules illos esurientes in fabulis æmulorum semper prodeuntes sese primum de scena abegisse v. 741

τοὺς Ἡρακλέας τοὺς μάττοντας καὶ τοὺς πεινῶντας ἐκείνους ἐξήλασ᾽ ἀτιμώσας πρῶτος κτλ.

idem illustrat pœta in Vespibus v. 56 Herculem cena defraudatum ad genus relegans Megaricum. Nihilominus invenitur Hercules ille lautarum epularum cupidus in Aristophanis fabulis *Ὄρνιθες* (v. 1565—1693) et *Αἰολοσίκων* (Kock I 395) inscriptis (schol· Pac. 741 *καὶ αὐτὸν ὁ Ἀριστοφάνης ὡς γαστρίμαργον τὸν Ἡρακλέα κωμῳδεῖ καὶ ἐν Ὄρνισι καὶ ἐν Αἰολοσίκωνι*).[15]) Herculis *ἀδηφαγίαν* spectare videtur etiam Philyllius in fabula *Ἡρακλῆς* inscripta (Meineke I 260, II 859).

U l i x e s deinde utpote comica figura ornatu scurrili instructa invenitur in vasculis nonnullis Bœotiis, quorum principatum tenet vas Musei Britannici (Journal of Hell. stud. XIII tab. IV) ubi depictum vides Ulixem barbatulum, pileo insignem, negligentius baculo innixum eique occursantem Circam reticulo ornatam, magnum poculum manibus porrigentem; eandem narrationem respicit pictura vascularis ib. p. 81 fig. 2. Ulixem mari navigantem habes a Boreæ spiritu impulsum ap. Gardner, Ashmolean Mus. no. 262 tab. 26. Phlyacographiæ quoque nostrum in deliciis fuisse picturæ docent Heyd. h et m; num homo pileatus vasculi A, qui a socio quodam adiutus mulierculæ in genua subsidenti ferro minatur, Ulixes intelligendus sit (ita Heydemann qui Circam

---

[15]) Etiam in Ranis, ubi noster maximo *ἔτνους* desiderio sæpissime sese flagravisse confitetur v. 63; falsum illum Herculem ancilla Proserpinæ enumeratione allicit escarum lautissimarum v. 503 sqq. cf. etiam v. 549 sqq. paulo fusius infra agam de Dramatibus.

veneficam aut unam ex ancillis perfidiosis supplicio puniri existimat) admodum mihi ambiguum videtur. Sed in vasculo h Ulixes depictus est pileatus qui Diomedem operis periculosissimi participem palladio quod ille abstulerat videtur defraudare; in sinistra enim manu signum cæleste tenens, dextra gladium stringens anxius ut videtur Tydidem respicit quippe qui iracundus eum prosequitur prædam suam recuperaturus; pictura m monstrat Ulixem naufragum Aretam Alcinoum amicissime inter sese consalutantes (fig. 1). Fabulas Troianas phlyacographis placuisse testatur quoque pictura Heyd. Q: Priamum in ara sedentem Neoptolemus petit trucidaturus. In rebus Homericis Epicharmi versantur fabulæ *Τρῶες*, *Φιλοκτήτας*, *Ὀδυσσεὺς αὐτόμολος*, *Ὀδυσσεὺς ναυαγός*, *Κύκλωψ*, *Σειρῆνες*. Fabula *Κύκλωψ* inscripta Odysseæ videtur Cyclopeam tractare, nam fr. 83

φέρ' ἐγχέας εἰς τὸ σκύφος

mire accedit ad similitudinem loci Homerici ι 355

δός μοι ἔτι πρόφρων, καί μοι τεὸν οὔνομα εἰπέ.

et fr. 81

ναὶ τὸν Ποτιδᾶν, κοιλότερος ὅλμου πολύ

haud dubie Polyphemi verba sunt — exclamatio quidem Oceani filio aptissima est — poculum exhaustum porrigentis. Sed eodem argumento utitur Cratini fabula *Ὀδυσσῆς* inscripta (cf. Kaibel, Hermes XXX 71 sqq.). Quomodo poeta comœdiam instruxerit coniectura colligit lepidissima Welcker, Kl. Schriften I 322, edacitatem summam fuisse putans totius fabulæ, fortasse recte, quia fragmenta 147 et 148 sine dubio e ciborum enumeratione exhausta sunt delicatiorum. Similiter in Calliæ fabula *Κύκλωπες* inscripta *τραγήματα* copiosius recensentur (Meineke, hist. crit. 214); fragmenta 3 et 4 cibos quæ enumerant tetrametri trochaici sunt propinqua sane cognatione coniuncti cum versibus quos ex Epicharmi tenemus Hebæ nuptiis.

Eo denique comœdia Attica cum Sicula videtur concinere quod in rebus mythicis tractandis sermonem Homericum

utraque paulisper voluerit servare. Cratini fabula Ὀδυσσῆς inscripta, ut initium ponamus in Atheniensium comœdia mythologica, Homeri vel in minutiis sequitur vestigia; nam præter vocula quædam ab Attici sermonis usu aliena, quorum in numero habes mediam formam comicis alioquin ignotam ὁρῶμαι fr. 138 (cf. Bergk, de rel. com. att. 156; Meineke II 57) atque τῆ in anapæsto fr. 141

τῆ νῦν τόδε πῖθι λαβὼν ἤδη. καὶ τοὔνομα μ' εὐθὺς ἐρώτα,

quod simillimum esse Homeri loco notissimo ι 347

Κύκλωψ, τῆ πίε οἶνον, ἐπεὶ φάγες ἀνδρομέα κρέα

optime statuit Bergk l. c. 158, Homerum mire sentiunt verba quibus Polyphemus atrociter minatur Ulixis sociis fr. 143

ἀνθ' ὧν πάντας ἑλὼν ὑμᱶς ἐρίηρας ἑταίρους,
φρύξας, ἑψήσας, κἀπ' ἀνθρακιᾶς ὀπτήσας
εἰς ἅλμην τε καὶ ὀξάλμην κᾆτ' ἐς σκοροδάλμην
χλιαρὸν ἐμβάπτων, ὃς ἂν ὀπτότατός μοι ἁπάντων
ὑμῶν φαίνηται, κατατρώξομαι, ὦ στρατιῶται.

itidem duo illi versus fr. 142

ἦσθε πανημέριοι χορταζόμενοι γάλα λευκόν,
πυὸν δαινύμενοι, κἀμπιμπλάμενοι πυριάτῃ

— Cyclopas ab Ulixis sociis hic ludibrio haberi conicetat Kaibel l. c. 79 sat quidem ingeniose — ante omnia vero fr. 140

ἐπ' ἀριστέρ' ἀεὶ τὴν ἄρκτον ἔχων λάμπουσαν, ἕως ἂν ἐφείρῃς

quod Calypsus debetur apud Homerum præcepto ε 276

τὴν γὰρ (scil. ἄρκτον) δή μιν ἄνωγε Καλυψώ, δῖα θεάων,
ποντοπορευέμεναι ἐπ' ἀριστερὰ χειρὸς ἔχοντα.

Itaque Theopompus quoque in fabula quæ Ὀδυσσεύς inscribitur diligentius Homeri respicit dicta fr. 33

χιτῶνά μοι
φέρων δέδωκας δαιδαλέον, ὃν ἤκασεν
ἄρισθ' Ὅμηρος κρομμύου λεπυχάνῳ.

ita enim Homerus chitonem describit τ 231

τὸν δὲ χιτῶν' ἐνόησα περὶ χροῒ σιγαλόεντα,
οἷόν τε κρομύοιο λοπὸν κατὰ ἰσχαλέοιο.

Hermippus præsertim ipsos versus Homericos imitando effinxit, cuius fragmentum amplius e Phormophoris sumptum, quod et heroico metro utitur et vocabulis epicis, hunc in modum incipit (fr. 63)

ἕσπετε νῦν μοι Μοῦσαι Ὀλύμπια δώματ' ἔχουσαι,
ἐξ οὗ ναυκληρεῖ Διόνυσος ἐπ' οἴνοπα πόντον,
ὅσσ' ἀγάθ' ἀνθρώποις δεῦρ' ἤγαγε νηὶ μελαίνῃ κτλ.

Iliadis locos quos nostrum inspexisse certissimum est affert Kock I 244; ceterum similiter metrum heroicum adhibet Hermippi fragmentum incertæ sedis 82. Ad hoc optime quadrat quod refert Ath. XV 699 a, Hermippum generi studuisse parodico (*πεποίηκε δὲ παρῳδίας καὶ Ἕρμιππος ὁ τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας ποιητής*). Nam comœdias significari non parodias peculiares probabiliter exposuit Meineke, hist. crit. 92 pronuntians „mihi H. parodias istas fabulis suis intexuisse videtur, Epicharmi Cratini aliorumque exemplum secutus;" assentitur Welcker, Kl. Schriften I 326.[16])

Quin comœdia oratione ista utatur gravi ut in risus eam deflectat dubium esse nequit suoque iure Cobet (Observationes crit. in Platonis comici reliquias (1840) p. 176) formas epicas in comicorum operibus obvias ita interpretatur ut pœtarum epicorum quæsita necnon iocosissima intelligenda sit imitatio. Sed idem iam dicendum mihi videtur de Epicharmi fabulis quæ ad res mythicas spectant, in carminum imitatione atque dictionis epicæ irrisione manifesto versatæ, qua de re nimis caute Hauler, Xen. Austr. 88. Præclarum enim huius usus exstat exemplum Epicharmi illud fragmentum (fr. 99 Kaibel) summi pretii quod deprompsit Gomperz, Mitth. a. d. Samm-

---

16) Contra Wilamowitz, Hermes XL 173, parodias intellegens quales Hegemonem Thasium fecisse compertum habemus; sed versus quos supra exscripsimus Homeri parodia imbuti e Phormophoris sumpti sunt, scilicet ex fabula comica.

lung der Papyrus Erzherz. Rainer V 1 sqq., aptissime assignans fabulæ *Ὀδυσσεὺς αὐτόμολος* inscriptæ. Ubi habes inter alia formas homericas *[τῆλ' ἀπε]νθών* pro *τηλόθεν* sicut *B* 863 *τῆλ' ἐξ Ἀσκανίης*, siquidem Gomperzii coniectura recte sese habet, deinde *πάγχυ* vocabulum quod Siculis alienum, in Iade vero atque poesi epica usitatissimum iocular homericæ orationis imitationi optime convenire statuit Gomperz p. 7. Potuit hanc præsertim in animo habere fabulam Athenaeus de parodia verba faciens XV 698 c: *κέχρηται δὲ καὶ Ἐπίχαρμος ὁ Συρακόσιος ἔν τισι τῶν δραμάτων ἐπ' ὀλίγον.* Neque tamen desunt quibus Siculum vel sæpius eundem in modum ioculari possit demonstrari et nonnulla ex epicorum poetarum usu ascita congessit Lorenz p. 134. Fabula *Τρῶες* inscripta exhibet fr. 130

Ζεὺς ἄναξ, ἀν' ἄκρα ναίων Γαργάρων ἀγάννιφα

prorsus ad exemplum Iliadis conformatum; cf. *π* 233

Ζεῦ ἄνα Δωδωναῖε πελασγικέ, τηλόθι ναίων.

Γάργαρον commemoratum vides ut deorum sedem *Ξ* 292 (*Γάργαρον ἄκρον*) *Θ* 47; *ἀγάννιφος* exstat *Α* 420, *Σ* 186. Non minus epici sermonis generi hexameter appropinquat fr. 123

λαοὶ τοξοχίτωνες, ἀκούετε Σειρηνάων

quod Sirenis Epicharmi fabulæ recte certe adscribitur; Schneidewin, exerc. crit. VIII 53 „*τοξοχίτωνες* ad Homericum *χαλκοχίτωνες* satis audacter fictum arcubus armatos videtur significare." De ceteris vocabulis apud Epicharmum epicis cf. Lorenz 134 et 289.

CAPUT II.

De comœdia Attica Epicharmi æmula.

Hac in re perscrutanda necesse est quam diligentissime fragmenta examinemus ac ne minutias quidem neglegamus. Permirum sane videtur quod ipsi homines docti, qui elementa Dorica comœdiæ inesse palæatticæ nequaquam negarint, comicos Atticos quinti sæculi expertes fuisse fabularum Epicharmearum arbitrati sint. Inter quos Zielinski (die Gliederung der altattischen Komœdie p. 243) quamvis perceperit ad quantam similitudinem fabularum Sicularum comœdiæ nonnullæ Atticæ compositæ sint, tamen notitiam Epicharmi in Aristophanis operibus nusquam inveniri contendit: „Dagegen muss ich aber einwenden, dass wir in diesem Falle bei Aristophanes Spuren einer Bekanntschaft mit Epicharm finden würden.“ Equidem Zielinskium hanc sententiam ferre valde miror, quippe quem Aristophanis opera penitus cognita habere bene scio. Sed eodem modo iudicat Bethe, Proleg. 61 „Von einer Kenntnis Epicharms finden sich vor Platon keine Spuren in Athen.“ Quæ cum ita sint haud irritum erit susceptum ea quæ Kaibel (Hermes XXIV 54, adn.) hanc ad opinionem refutandam disputavit, sed in transcursu solum nec satis copiose, pro virili parte exsequi.

Principium ponendum esse in eis putavi exemplis de quibus vix possit ambigi. Ita Epicharmi imitationem in Pace Aristophanis fabula apertissimam adumbravit iam Kaibel l. c. Trygæus enim indignatus Mercurio qui acriter in eum invectus nomen genus patrem exquirit idem semper reddit responsum v. 185 sq.

τί σοί ποτ' ἔστ' ὄνομ'; οὐκ ἐρεῖς; — μιαρώτατος.
— ποδαπὸς τὸ γένος δ' εἶ; φράζε μοι. — μιαρώτατος.
— πατὴρ δέ σοι τίς ἐστ'; — ἐμοί; μιαρώτατος.

Quem iocum non ipsius esse Aristophanis tradit schol. 185: *τοῦτο* (triplex illud *μιαρώτατος*) . . . *τὸ ἀληθὲς τὴν ἀφορμὴν ἐκ τοῦ Σκίρωνος παρ' Ἐπιχάρμου ἔχει, ἐπεὶ κἀκεῖνος πεποίηκε τὸν φορμὸν ἐρωτηθέντα „τίς ἐστι μήτηρ" ἀποκρινόμενον κτλ.* Epicharmi versus hunc in modum restituit Kaibel (frg. 125)

— τίς ἐστι μάτηρ; — Σακίς. — ἀλλὰ τίς πατήρ;
— Σακίς. — τίς ἀδελφεὸς δὲ; — Σακίς.

Utrius autem lusus salsior sit et rei aptior luce clarius est atque summo iure scholiasta ille adnotavit *ἀλλ' ἐκεῖνος μὲν* (scil. corbis Epicharmi) *ἔδοξε πρὸς τὸ ἐρωτώμενον καὶ τὸ ἑξῆς* (fort. *κατὰ τὸ συγγενὲς*. Kaibel) *ἀποκρίνεσθαι· ἔστι γάρ τις τοῖς φορμοῖς συγγένεια πρὸς τὰς σηκίδας, ἐνταῦθα δὲ οὐκέτι κατὰ τὸ συγγενὲς οὗτος* (scil. Trygæus) *ἀπεκρίθη.* Designat enim *σηκίς* vox ancillam (Ar. Vesp. 768; Poll. III 76), quæ perbene in corbis responso ut parens eius poterat commemorari, nec inepte Schneidewin, Exerc. crit. c. VIII 55 „nimirum" inquit „unius ancillæ in *φορμόν* omne est ius atque imperium: hæc semper gestat et tractat, ut lepide et mater et pater et frater vocari potuerit." Qui iocus eo magis placet, quoniam *Σηκίς* vocabulum pro nomine quoque proprio fungi constat (schol. Vesp. 768, Pherecr. frg. 10), atque facile intellectu est quomodo ætas posterior Epicharmi matrem *Σηκίδα* appellans (Suid. *Ἐπίχαρμος Τιτύρου ἢ Χιμάρου καὶ Σηκίδος*) in hunc errorem lapsa sit singularem; cf. Kaibel ad frg. 125. Ceterum vides Mercurium a quæstionum ordine quem fragmentum nostrum præbet recedere *ποδαπὸς τὸ γένος* quærentem atque verisimile duco poetam hic iocantem interrogationum illi alludere modo, quem Athenis antiquitus in more fuisse in archontibus examinandis refert Aristoteles, *Ἀθην. πολ.* LV, 3 pag. 28 *ἐπερωτῶσιν δ', ὅταν δοκιμάζωσιν, πρῶτον μὲν „τίς σοι πατὴρ καὶ πόθεν τῶν δήμων, καὶ τίς πατρὸς πατήρ, καὶ τίς μήτηρ, καὶ τίς μητρὸς πατὴρ καὶ πόθεν τῶν*

δήμων. Nihilominus inventionem ioci pœtæ Siculo deberi nemini dubium erit.

Alterum exemplum præsto est non minus clarum. In dialogo fabulæ cuiusdam Epicharmeæ hasce positas videmus argutias frg. 149

— *τί δέ τόδ' ἐστί; — δηλαδὴ τρίπους. — τί μὰν ἔχει πόδας*
τέτορας; οὐκ ἔστιν τρίπους, ἀλλ' <ἐστὶν> οἶμαι τετράπους.
— *ἔστιν ὄνομ' αὐτῷ τρίπους, τέτοράς γα μὰν ἔχει πόδας.*
— *Οἰδίπους τοίνυν ποτ' ἦν αἴνιγμά τοι νοεῖς.*

Ex Athen. II 49, qui hunc locum servavit, iam Hesiodum (frg. 177 Rz.) pravam illam mensæ appellationem adhibuisse cognoscimus; primus vero, quantum nos quidem scimus, in „mensis tripedibus" Epicharmus hæsitasse videtur neque dubitandum est quin Aristophanes illius sequatur exemplum in Telmessensibus ludum collocans prorsus consimilem (frg. 530)

— *τράπεζαν ἡμῖν εἴσφερε*
τρεῖς πόδας ἔχουσαν, τέτταρας δὲ μὴ 'χέτω.
— *καὶ πόθεν ἐγὼ τρίπουν τράπεζαν λήψομαι;*

Sed ex contrario hic tripedem mensam *τράπεζαν* nominari animadvertas quæso, neque te latebit quam artificiose illud dictum sit ab Aristophane Epicharmi auctoritati obnoxio. Similem abusionem ridet Eupolis frg. 18 cum in *βουκολεῖσθαι αἶγας* offendat.

Necnon iucundissimus lusus verborum qui exstat in Strattidis fragmentis a Schwartzio (schol. Eur. Or. 279) hunc in modum restitutus (frg. 60 Kock)

— *γαλήν' ὁρῶ. — ποῖ, πρὸς θεῶν, ποῖ ποῖ γαλῆν;*
— *γαλήνά. — ἐγὼ δ' ᾤμην σε γαλῆν λέγειν ὁρῶ.*

Hegelochi illud spectans in loquendo lapsum, mire congruit cum Epicharmi ratione ludendi frg. 87

— *ὁ Ζεύς μ' ἐκάλεσε, Πέλοπί γ' ἔρανον ἱστιῶν.*
— *ἦ παμπόνηρον ὄψον, ὦ τάν, ὁ γέρανος.*
— *ἀλλ' οὔτι γέρανον, ἀλλ' ἔρανόν <γά> τοι λέγω.*

Præter id vero quod artificia quædam dialectica ex Epicharmi fabulis fluxisse manifestum sit, universus sermonis color idem mihi videtur, atque ex re erit ipsam dialogi indolem propius inspicere.

Imprimis hoc apparet comœdiam Siculam primam sermonem accelerasse singulis versibus inter duas personas ita discerptis ut responsa quam celerrime sese excipiant. Quam rationem a tragicis sero acceptam Epicharmum iam secutum esse demonstravit Wilamowitz (Analecta Euripidea p. 194).

Præbet enim exempla huius licentiæ pœta Siculus haud ita pauca; cf. frg. 124, 125, 148, 149, 170. 171. Itidemque hic usus frequentatur in fragmentis quæ comicorum Atticorum tenemus pæne omnium.*) Iam vero animadvertas quam arcte exempla nostra cohæreant cum Epicharmi versibus. Exempla e trimetris petita sunt:

Epich. frg. 171, 1

ἆρ' ἔστιν αὔλησίς τι πρᾶγμα; — πάνυ μὲν ὦν.

Arist. Plut. 97

ὡς τοὺς δικαίους δ'ἂν βαδίζοις; — πάνυ μὲν οὖν.

ib. 1195

ἵν' ἔχων προηγῇ τῷ θεῷ σύ. — πάνυ μὲν οὖν.

Epich. frg. 171, 2

ἄνθρωπος ὢν αὔλησίς ἐστιν; — οὐδαμῶς.

eiusdem frg. 128

ἀλλ' οὐχ' ὁμοῖα <τάδε> γ'ἐρινοῖς; — οὐδαμῶς.[17])

Arist. Ran. 56

γυναικός; — οὐ δῆτ'. — ἀλλὰ παιδός; — οὐδαμῶς.

---

*) e. c. Cratet. frg. 14. Pherecr. 1, 5, 6, 9, 32 et sæpius, Hermipp. 50. Eupol. 98, 119, 158, 182, 233 et sæpius.

[17]) Sic enim versum

ἀλλ' οὐχ ὁμοῖα (τάδε) γ'ἐρινοῖς οὐδαμῶς

melius sese habere existimo; simile quid sententiæ subesse cogitari potest ac Aristophanis loco Ach. 769

ἦ οὐ χοῖρός ἐσθ' ἅδ'; — οὐκ ἔμοιγε φαίνεται.

Pherecr. frg. 69, 4

τί λάβω κυρίσοι τὴν κοτυλίσκην; — μηδαμῶς.

Arist. Lys. 916

φέρε νυν ἐνέγκω κλινίδιον νῷν. — μηδαμῶς.

Canthari frg. 8

οὐκοῦν ἀκρατισώμεθ' αὐτοῦ. — μηδαμῶς.

tetrameter trochaicus scinditur plane ad usum Epicharmi (frg. 148)

ἐκ δὲ θοίνας πόσις ἐγένετο. — χαρίεν, ὥς γ'ἐμὶν δοκεῖ.

Ar. Ach. 309

καὶ βλέπουσιν ἐς σὲ κἀμέ. — τοῦτο μὲν κἀμοὶ δοκεῖ.

Interdum fit ut in extremo versu exclamatio ponatur:

Ep. frg. 124, 3

καὶ γλυκὺν γ'ἐπ' ὧν ἐπίομες οἶνον. — οἰβοιβοῖ τάλας.

Ar. Nub. 742

ὀρθῶς διαιρῶν καὶ σκοπῶν. — οἴμοι τάλας.

aut *οἴμοι δείλαιος* in fine versus percrebrum; cf. e. c. Ar. Equ. 139, Vesp. 40, 165, 1150, Pac. 233, Av. 990.

Ep. frg. 124, 4

περί γα μὰν αἴκλον τὶ κά τις καὶ λέγοι. — φοῦ τῶν κακῶν.

Ar. Plut. 389

οὕτω πάνυ πολλὰ κέκλοφας; — οἴμοι τῶν κακῶν.

Loquuntur exempla ipsa.

Similiter res se habet in metris quæ utrique comœdiæ communia sunt. Certissimum enim est versus tetrametricos sicut in antiquissimis comicorum Atticorum fabulis (cf. Zacher, Wochenschrift f. klass. Philol. 1886 p. 1610 sq.) ita in Epicharmea quoque comœdia locum obtinuisse. Tetrametrum trochaicum constat ab Epicharmo maxime frequentatum olim

„metrum Epicharmium“ nominatum fuisse,[18]) necnon tetrameter anapæsticus magnas in poetæ Siculi fabulis videtur partes egisse. De tetrametro enim anapæstico catalectico hæc habet Hephæstio p. 49 *κέκληται δὲ Ἀριστοφάνειον* (scil. *μέτρον*), *οὐκ Ἀριστοφάνους αὐτὸ εὑρόντος πρώτου, ἐπεὶ καὶ παρὰ Κρατίνῳ ἐστί . . . καὶ πρὸ Κρατίνου παρ' Ἐπιχάρμῳ, ὃς καὶ ὅλα δύο δράματα τούτῳ τῷ μέτρῳ γέγραφε τούς τε Χορεύοντας καὶ τὸν Ἐπινίκιον* (cf. schol. Ar. Plut. 487 inde depromptum). Quam ob rem haud temere coniecerunt homines docti comœdiam Atticam Siculæ debere tetrametrum anapæsticum. Crusius, Philol. vol. suppl. VI 284 „wir haben Grund zu der Vermutung,“ inquit „dass von hier aus der ur-dorische Vers in die attische Komœdie gekommen ist.“ Eandem profitetur sententiam Kaibel, Hermes XXIV 55 adn. quærens „woher haben die Komiker in Athen den anapæstischen Tetrameter, wenn nicht von Epicharm?“ Cum vero inter fabularum Epicharmearum reliquias perpauca solum investiges huius metri exempla satis lacerata,[19]) necesse est hac in suspicione acquiescas.

Consentire denique vides Aristophanis artem cum Epicharmea in verborum ilocaliter fingendorum vel exornandorum studio. Itaque ridiculam pronominis *αὐτός* comparationem ab Epicharmo inventam (frg. 5 *αὐτότερος αὐτῶν*) Aristophanes tenet qui in Pluto v. 83 deum facit Chremylo respondentem

ἐκεῖνος αὐτός; — αὐτότατος.

atque eiusdem poetæ *Δαναώτατος* frg. 259 optime cum Epicharmi exemplo collocavit Apollonius de pron. 64, 11 *ἕνεκα γελοίου ἡ κωμῳδία σχήματά τινα ἔπλασεν, ὥστε οὐ κριτήριον τῆς λέξεως τὸ αὐτότερος, ἐπεὶ καὶ Δαναώτατος ὑπερτίθεται παρὰ Ἀριστοφάνει, τῶν κυρίων οὐ συγκρινομένων.* (cf. etiam Ar. Plut. 182 *μονώτατος*, Eupol. frg. 396 *ἀνδραποδιστικώτατα*). Contra usus ille in nominibus propriis *δι' ὑποκοριστικῶν*

18) Cf. Lorenz p. 157.

19) Frg. 109, 111, 152, 218 Kaibel.

ludendi qui Aristophanis fabulas legentes tantopere nos delectat — meminisse iuvat *Δημακίδιον* Equ. 823 et *Δημίδιον* ib. 726, 1199, *Ἑρμίδιον* Pac. 382, 924, *Εὐριπίδιον* Ach. 404, 475, *Λαμαχίππιον* Ach. 1207, *Ξανθίδιον* Ran. 582, *Σωκρατίδιον* Nub. 222, 237, 746, *Φειδιππίδιον* ib. 80 — occurrit iam apud Epicharmum (frg. 142): *Πριαμιλλύδριον* a *Πρίαμος* ductum; ipsa vocis terminatio Siculorum videtur propria fuisse; cf. *σκιφύδριον* Ep. frg. 42, *μελύδριον* Theocr. 7, 51, *χερύδριον* Mosch. 2, 13.

Excellet comœdia Epicharmea in proverbiis orationi admixtis (Welcker, Kl. Schriften I 317, Lorenz 133, Diels, Vorsokratiker 91) sententiisque quarum nonnullas in fabulas Atticas fluxisse spero fore ut tibi demonstrem. Nam in Ecclesiazusis Praxagoram, cum rei publicæ angustias ita denotet v. 109

νῦν μὲν γὰρ οὔτε θέομεν οὔτ' ἐλαύνομεν

proverbium quoddam in usum suum convertere monet scholiasta: *παρὰ τὴν παροιμίαν*

ὄκκ' ἀργύριον ᾖ, πάντα θεῖ κἠλαύνεται.

Kaibel hoc dictum ex Epicharmi sententiis haustum esse existimans (frg. 216) a vero vix aberraverit: dialectus enim Dorica apparet in *ὄκκα*. In eandem mihi suspicionem venit Cratinus qui frg. 199

ὕδωρ δὲ πίνων οὐδὲν ἂν τέκοι σοφόν

pœtam nihil in arte sua consecuturum affirmat nisi vino inflammatum; nempe locum sic esse interpretandum epigramma illud docet in Cratinum compositum quod nobis hunc versum servavit apud Athen. II 39 c

„οἶνός τοι χαρίεντι πέλει ταχὺς ἵππος ἀοιδῷ·
ὕδωρ δὲ πίνων οὐδὲν ἂν τέκοι σοφόν."
ταῦτ' ἔλεγεν, Διόνυσε, καὶ ἔπνεεν οὐχ ἑνὸς ἀσκοῦ
Κρατῖνος, ἀλλὰ παντὸς ὠδωδὼς πίθου.

Poterat ita iocari poeta noster *φιλοπότης* in Pytine purgans sese de vinositatis opprobrio. Sed plane eandem iam senten-

tiam illustrat versus qui exstitit in Philocteta fabula Epicharmi frg. 132

οὐκ ἔστι διθύραμβος ὄκχ' ὕδωρ πίῃς.

nam et hic aquæ potorem nihil egregii efficere dicitur in arte poetica; qua de re hæc exhibet Hauler, Xenia Austriaca I 88 „Der artige Vers dürfte eine an den Helden gerichtete Aufforderung sein, den Dithyramb gleich den anderen durch Weingenuss zu fördern.“ Firmatur certe hæc explicatio Athenaei verbis XIV 628.[20])

Quibus perpensis hoc certe effecimus Aristophani eiusque æqualibus nostas fuisse fabulas Epicharmeas. Sed minime acquievisse mihi videtur comœdia Attica in Epicharmi metris ac sententiis recipiendis, etiamsi hoc quidem constat nostrum a media novaque comœdia pro poeta præcipue philosopho habitum esse, id quod luculenter docuit Wilamowitz, Textgesch. der griech. Lyriker p. 24 sq. Archippi fabula *Ἡρακλῆς γαμῶν* inscripta quam similis fuerit Epicharmeæ *Ἥβας γάμος* Kaibel iam exposuit Hermæ l. c. Utramque enim fabulam in eodem versari argumento tituli patefaciunt ad Herculem qui spectant Heben in matrimonium ducentem.[21]) Similitudo vero non solum in hac re sita est: summam fabulæ et hac et illac cenam nuptialem fuisse putare licet, eo quidem discrimine, quod Epicharmus epularum apparatum longissima ut videtur oratione descripsit (frg. 42 sqq. cf. Hauler p. 87), Archippus eum in ipsam scenam produxisse videtur; nam frg. 10 (Kock)

---

20) *Φιλόχορος δέ φησιν ὡς οἱ παλαιοὶ οὐκ αἰεὶ διθυραμβοῦσιν, ἀλλ' ὅταν σπένδωσι, τὸν μὲν Διόνυσον ἐν οἴνῳ καὶ μέθῃ . . . μέλποντες. Ἀρχίλοχος γοῦν φησιν* (frg. 77 *B*[4])

ὡς Διονύσοι' ἄνακτος καλὸν ἐξάρξαι μέλος
οἶδα διθύραμβον, οἴνῳ συγκεραυνωθεὶς φρένας. καὶ Ἐπίχαρμος δ' ἐν Φιλοκτήτῃ ἔφη κτλ.

21) Ceterum eidem materiæ operam dedisse arbitror Nicocharem qui fabulam exhibet *Ἡρακλῆς γαμῶν* inscriptam; vix enim laudabis Meinekii (hist. crit. 255) sententiam, cum propter Pollucis verba VII 40 *παρὰ Νικοχάρει ἐν Ἡρακλεῖ γαμουμένῳ*. Herculem significari velit Omphales imperio subiectum.

τὸ πῦρ πολὺ λίαν· ὕπαγε τὰς ἀκροβελίδας

recte „coqui verba ad ministrum“ accipit Meineke II 717 (cf. Ach. 1003 sqq. Av. 1579 sqq.). Vel ipsa ciborum enumeratio apud Archippum haud videtur discrepuisse ab Epicharmi ratione; habes fr. 12

νήστεις, κεστρέας, κεφάλους

ubi singulas delicias asyndetice vides nominari plane in modum Epicharmeum. Perspexit iam Lorenz p. 89 enumerationes illas escarum mollicularum in Atticæ comœdiæ fabulis percrebras ad Epicharmi exemplum fictas esse, ad Hebæ nuptias adnotans „die vielen speziellen Aufzählungen von Wildpret, Vögeln, Fischen, Schaltieren, Kuchen u. dgl., wie in ganz ähnlichen Partieen mehrerer Komœdien des Aristophanes.“ In universum narratione multa absoluta esse in Epicharmi fabulis mythologicis Lorenz p. 133 recte fortasse arbitratur necnon comœdiam Atticam hac in re Siculi usam esse exemplo verisimile est.

Unam certe Epicharmi fabulam, *Ἡρακλῆς ὁ πὰρ Φόλῳ* inscriptam, Aristophanes me quidem iudice imitari studuit. E solo quod illius fabulæ superest fragmento (fr. 78)

ἀλλὰ μὰν ἐγὼν ἀνάγκᾳ ταῦτα πάντα ποιέω·
οἴομαι δ' οὐδεὶς ἑκὼν πονηρὸς οὐδ' ἄταν ἔχων.

ad argumentum restituendum nihil effici concedo; Wilamowitz, Herakles I² 99 hæc verba Herculi attribuit, haud certe iniuria. Nemo tamen cum fabulæ titulum animadvertit dubitabit quin fundamentum eius Hercules fuerit ille Pholi Centauri hospitio acceptus cenaque opulentissima delectatus, deinde vero a ceteris Centauris acriter impugnatus atque maximis laboribus sese liberans; cf. Meineke II 1055. Cuius facti famam apud Siculos antiquitus in gratia fuisse argumento est Stesichori fragmentum (7 Bergk⁴); respicit rem etiam Theocritus VII 149 sq. Iam vero Aristophanem in fabula *Δράματα ἢ Κένταυρος* inscripta Herculem exhibuisse a Pholo Centauro in convivium adhibitum in confesso est; cf. Wilamowitz, Hermes IX 330

adn. Num re vera Aristophanes loco Vesparum tritissimo v. 60 (*οὐδ' Ἡρακλῆς τὸ δεῖπνον ἐξαπατώμενος*) sese ipsum hoc olim argumento usum esse velit fateri — id quod contendit Wilamowitz, Observationes criticæ, p. 19 et 59, qui in scholio *ἐν τοῖς πρὸ τούτου δεδιδαγμένοις δράμασιν εἰς τὴν Ἡρακλέους ἀπληστίαν πολλὰ προείρηται*, pro *δράμασιν* scribendum putat *Δράμασιν* — valde dubium est; cf. Bergk, Litt.-Gesch. IV 89, 132; Luebke, Observationes criticæ in hist. veteris græc. comœdiæ, Diss. Berol. 1883, p. 40 sq. Quod autem ex fragmentis concludere licet, convivium describitur sat inurbanum; verba fr. 269

ἀλλ' ἐς κάδον λαβὼν τιν' οὔρει πίττινον

a socio quodam convivii pronuntiari arbitror — in Alcestide Euripidea persimilem scenam exstare recorderis — et quæ chorus refert fr. 288 *πάντες δ' ἔνδον πεταχνοῦνται*, ad illam apud Pholum cenam pertinere videntur. Nimirum Hercules huius tumultus auctor est, quem convivio interesse ex eodem fortasse chori carmine comperimus (fr. 272)

χωρεῖ ἄκλητος ἀεὶ δειπνήσων· οὐ γὰρ ἄκανθαι.

solebat enim heros noster invocatus ad cenam itare. Iamiam fabulam de qua agitur propinquitatis vinculis cum Epicharmi arte coniunctam esse docet fr. 287 quod Herculis voracitatem designat immanem:

αὐτοῖς σταθμοῖς ἐξέβαλε τὰς σιαγόνας.[22])

Optime enim comparatur cum Busiridis Epicharmeæ fragmento, quo persimiliter quidam horridum vorantis Herculis aspectum verbis exprimit (fr. 21)

πρᾶτον μὲν αἴκ ἔσθοντ' ἴδοις νιν, ἀποθάνοις·
βρέμει μὲν ὁ φάρυγξ ἔνδοθ', ἀραβεῖ δ' ἁ γνάθος,
ψοφεῖ δ' ὁ γόμφιος, τέτριγε δ' ὁ κυνόδων,
σίζει δὲ ταῖς ῥίνεσσι, κινεῖ δ' οὔατα.

---

[22]) Sensus obscurus; *ἐπέβαλε* coniectat Kock: „malas etiam postibus iniecit i. e. ne postibus quidem pepercit: quemadmodum Ion in Omphale dixerat (Ath. X 411 b) *ὑπὸ δὲ τῆς βουλιμίας κατέπινε καὶ τὰ κᾶλα καὶ τοὺς ἄνθρακας.*" — rectius fortasse *ἐνέβαλε.*

En habes illius *βουλιμίαν* bestialem, nec ulla locum interpretatione egere puto; versus a servo quodam pronuntiari reor haud aliter atque in Aristophanis *Δράματα ἢ Κένταυρος*, siquidem illa recte sum interpretatus. Hoc unum in incerto relinquitur, utrum cum Kaibelio sit faciendum, qui p. 94 Busiridi de Herculis voracitate nuntiari arbitratur, an, ut sibi vult Lorenz p. 131, nostrum rege iam interfecto diem festum obire putes propter victoriam reportatam.

Alterum imitationis exemplum præsto est haud minus notabile. Summam enim mores describendi artem Epicharmus præstat in oratione illa parasiti in fabula quæ inscribitur *Ἐλπὶς ἢ Πλοῦτος* fr. 35 miserias deliciasque vitæ suæ ita enarrantis:

συνδειπνέων τῷ λῶντι, καλέσαι δεῖ μόνον,
καὶ τῷ γα μὴ λεῶντι, κοὐδὲν δεῖ καλεῖν.
τηνεὶ δὲ χαρίεις τ' εἰμὶ καὶ ποιέω πολὺν
γέλωτα καὶ τὸν ἱστιῶντ' ἐπαινέω·
καἴ κα τις ἀντίον <τι> λῇ τήνῳ λέγειν,
τήνῳ κυδάζομαί τε κἀπ' ὦν ἠχθόμαν.
κἤπειτα πολλὰ καταφαγών, πολλ' ἐμπιὼν
ἄπειμι· λύχνον δ' οὐχ ὁ παῖς μοι συμφέρει,
ἕρπω δ' ὀλισθράζων τε καὶ κατὰ σκότος
ἐρῆμος· αἴ κα δ' ἐντύχω τοῖς περιπόλοις,
τοῦθ' οἷον ἀγαθὸν ἐπιλέγω τοῖς θεοῖς, ὅτι
οὐ λῶντι πλεῖον ἀλλὰ μαστιγοῦντί με.
ἐπεὶ δὲ χ' εἵκω οἴκαδις καταφθερείς,
ἄστρωτος εὕδω· καὶ τὰ μὲν πρᾶτ' οὐ κοῶ,
ἇς κά μ' <ἔχ>ων ὤκρατος ἀμφέπῃ φρένας . . .

Spectat vero Epicharmi locum epirrhema illud fabulæ Eupolideæ *Κόλακες* inscriptæ (fr. 159) versu conditum tetrametro choriambico, quo adulatorum chorus quotidianas adumbrat consuetudines; fragmentum hic exscribam integrum:

ἀλλὰ δίαιταν ἣν ἔχουσ' οἱ κόλακες πρὸς ὑμᾶς
λέξομεν· ἀλλ' ἀκούσαθ' ὡς ἐσμὲν ἅπαντα κομψοὶ
ἄνδρες· ὅτοισι πρῶτα μὲν παῖς ἀκόλουθός ἐστιν
ἀλλότριος τὰ πολλά, μικρὸν δέ τι κἀμὸν αὐτοῦ.

ἱματίω δέ μοι δύ' ἐστὸν χαρίεντε τούτω,
οἷν μεταλαμβάνων ἀεὶ θάτερον ἐξελαύνω
εἰς ἀγοράν. ἐκεῖ δ' ἐπειδὰν κατίδω τιν' ἄνδρα
ἠλίθιον, πλουτοῦντα δ', εὐθὺς περὶ τοῦτον εἰμί.
κἄν τι τύχῃ λέγων ὁ πλούταξ, πάνυ τοῦτ' ἐπαινῶ,
καὶ καταπλήττομαι δοκῶν τοῖσι λόγοισι χαίρειν.
εἶτ' ἐπὶ δεῖπνον ἐρχόμεσθ' ἄλλυδις ἄλλος ἡμῶν
μᾶζαν ἐπ' ἀλλόφυλον, οὗ δεῖ χαρίεντα πολλά
τὸν κόλακ' εὐθέως λέγειν, ἢ 'κφέρεται θύραζε.
οἶδα δ' Ἀκέστορ' αὐτὸ τὸν στιγματίαν παθόντα.
σκῶμμα γὰρ εἶπ' ἀσελγές, εἶτ' αὐτὸν ὁ παῖς θύραζε
ἐξαγαγὼν ἔχοντα κλοιὸν παρέδωκεν Οἰνεῖ.

Utroque loco parasiti mores et vitam exponunt, Epicharmeus ille socio ut videtur cuidam (Ath. VI 235 f *καὶ αὐτὸν ποιεῖ τὸν παράσιτον λέγοντα τοιάδε πρὸς τὸν πυνθανόμενον*), Eupolidis autem chorus ipsis spectatoribus (v. 1 *πρὸς ὑμᾶς λέξομεν*). Qua in re adeo diligenter Eupolis sequitur poetæ Siculi auctoritatem, ut chorus adulatorum in cantico de semet ipso locutus quamvis initio numero plurali usus sit, postea occulte transeat ad singularem. Imprimis hoc commune est Epicharmi personæ cum parasito qualem habet Eupolis, ut pauperrimus uterque sit atque inops. Ille vel lucerna caret necnon stragulo, ita ut noctu *ἄστρωτος* cubet, hic nilnisi duo universe pallia habet quæ semper mutare solet. Itaque inopia pressi ut hominum ditiorum recipiantur in hospitium eorumque cenæ quam sæpissime possint interesse summa vi nituntur. Iam vero ratione qua in victu diuturno quærendo utuntur mire consentiunt exempla nostra. Epicharmi enim parasitus in convivio studet *χαρίεις* esse ac iocose dictis risum movere (cf. v. 3): Eupolideum ibi oportet facetias vel *χαρίεντα πολλὰ λέγειν* (v. 12). Ille gratiam aucupatur fautoris blanditiis et assentationibus et omnium quæ ab eo sint enuntiata laudando (v. 4 *τὸν ἱστιῶντ' ἐπαινέω*): hic quodvis hominis opulenti dictum summis laudibus ornat (v. 9 *κἄν τι τύχῃ λέγων ὁ πλούταξ, πάνυ τοῦτ' ἐπαινῶ*).

At iam paulo ante Eupolidem hanc Epicharmeam fabulam a Cratete comœdiæ antiquæ poeta respectam esse coniicio. De argumento fabulæ *Γείτονες* inscriptæ (Kock I 130) certiora non tenemus. Hoc unum pro certo haberi potest ebrium quendam a poeta in scenam inductum esse teste Athenæo, qui Cratetem Epicharmi exemplum hac in re secutum esse affirmat X 429 a; parum enim cognitum esse contendit *πρῶτον Ἐπίχαρμον ἐπὶ τὴν σκηνὴν παραγαγεῖν μεθύοντα, μεθ' ὃν Κράτητα Γείτοσιν.* Ebriosum illum Epicharmi eundem esse velim atque parasitum supra memoratum, qui sese vino deditum esse haud dissimulans quæ immodice potando soleant effici tam lepide describit v. 14; imprimis autem verba respicias quæ ille de consuetudine facit domum ebrie redeundi v. 7 sqq.

κἤπειτα πολλὰ καταφαγών, πολλ' ἐμπιών
ἄπειμι· λύχνον δ' οὐχ ὁ παῖς μοι συμφέρει,
ἕρπω δ' ὀλισθράζων τε καὶ κατὰ σκότος ἔρημος.[23])

Cum vero in Cratetis Vicinis, qua in fabula homo ebrius in Epicharmei modum partes egisse traditur, quidam queratur frg. 3

οὐκ ἔστι μοι λυχνίδιον[24])

suspicari certe licet hoc ab ebrio illo pronuntiari cum noctu domum redit. Equidem similitudinem haud spernendam esse arbitror, nam interpretatio loci Epicharmei qualem profert Kaibel p. 97 („non habeo puerum qui in face ferenda operam mihi præbeat“ i. e. ipse hoc facit) haud recta est: parasitum omnino face carere verba *κατὰ σκότος* sat faciunt perspicuum.

---

[23]) Licet contra moneas parasitum Epicharmi in scena non esse ebrium; sed locum qui nobis servatus est prologum esse putare velim, ubi persona quæ in fabula primas partes agit ea quæ postea in scena fiant paucis exponit, sicut in Aristophanis Acharnensibus, in Epicharmi si quid video Ulixe naufrago (cf. frg. 99).

[24]) Herwerden (Collectanea critica, epicritica, exegetica p. 12) qui Blaydesium secutus *λυχν(ε)ίδια* postulat propter Pollucis verba X 118 *δῆλον ὅτι λυχνία (λυχνεῖα?) εἴρηκεν, ἀλλ' οὐ λύχνους μικρούς,* mihi quidem non persuasit.

Cratetis porro *μεθύοντα* item atque exemplum quod imitatur parasiti vitam egisse, ex titulo *Γείτονες* fortasse concludere licet; etenim Epicharmi quoque parasitus hospitis sui vicinus esse videtur, cum in illa quoque fabula *τὸν τοῦ γείτονος καλιόν* homo quidam laudet frg. 39. Relucet igitur, nisi oculi mentiuntur, ex Eupolidis atque Cratetis fabulis imago parasiti illius Siculi. Cave tamen credas comœdiam Atticam statas recepisse figuras ab Epicharmo excultas; nam quæ Grysar olim in libro „de Doriensium comœdia" (1828) inscripto p. 249 sqq. sibi excogitarat de personis voracis ebrii parasiti in fabulis Epicharmeis frequenter agentibus ac longe lateque inde divulgatis redarguit ut par erat Welcker, Kl. Schriften I 311, quoniam personarum typicarum apud Epicharmum nullum invenitur vestigium.

Attamen personæ aliquot quas comœdia Attica exhibet mire sentiunt artem Epicharmeam. Ita res se habet in ænigmatica illa Cratini fabula *Κλεοβουλῖναι* inscripta, cuius iam titulus formam exhibet linguæ Siculæ propriam. Nam adiectiva gentilia in — *ῖνος* quæ exeunt peculiaria esse Græcorum Siculorum et Italicorum notum est; exempla sunt *Ἀκραγαντῖνος, Ἑλωρῖνος, Ἐρυκῖνος, Λεοντῖνος, Μεταποντῖνος, Ῥηγῖνος, Ταραντῖνος*.[25]) Sequitur Italioticam hanc formam *Ἀγρωστῖνος* titulus Epicharmeus ab *ἀγρώστης* ductus, atque eodem certe pacto *Λογίνα* nomen itidem ab Epicharmo inventum, a *λόγος* descendit.[26]) Non est dubitandum quin a Cratino hæc ipsa ratio inita sit, cum filiæ Cleobuli, personæ manifesto fictæ, poeta nomen imposuerit a *Κλεόβουλος* derivatum. Quapropter Wilamowitz (Hermes XXXIV 221) digitum intendens ad Cleobulinam viro illi ænigmata proponenti similiter adiunctam atque Loginam Epicharmi cum virili persona consociatam, summo iure videtur iudicare „der Anschluss an den sicilischen Erfinder der Komœdie wird bewusst gewesen sein." Num

---

25) Cf. Lorenz 155, Kaibel 106; de origine huius formationis Sicula nuper egit Wackernagel, Archiv f. lat. Lexicographie u. Grammatik XIV 2.

26) Conferas denique eiusdem frg. 124 *δελφακίνα* vocabulum quod originem traxit a *δέλφαξ*.

fallor Aristophanem quoque eandem fabulam Epicharmeam spectare opinans? Nonne *Λόγος δίκαιος* et *Λόγος ἄδικος* personæ in Nubibus quæ intrant disputantes (v. 889—1104) fabulam *Λόγος καὶ Λογίνα* inscriptam revocant in memoriam? Nempe similem in hac fabula verborum disceptationem locum habuisse putat Bernhardy[27]) ap. Ersch-Gruber, Encyclop. I 35 p. 355) atque omnino hoc admodum probabile est dicendi artem in Sicilia excultam personis facundissime inter sese certantibus triumphum egisse. Kaibelium hac ipsa re occupatum mors oppressit liceatque mihi verba eius exscribere quæ C. Robert utpote viri de comœdia græca optime meriti testamentum memoriæ tradidit in Hermæ vol. XXXVI 1901 mens. Decembr. „aber am Herzen liegt mir noch: die Komœdie nicht nur aus den beiden Bestandteilen *κῶμοι* und *σκώμματα.* Auch allegorische Personen, Vertreter von Begriffen: *Λόγος Λογίνα, Γᾶ Θάλασσα, Ἐλπίς Πλοῦτος = ἀγῶνες.* Auch der Parasit gehört daher, der immer eine Aussenrolle, eine nur wenig organische Aufgabe im Stück hat und sie wohl erst spät bekommt. Die *μέση* hat das von Epicharm übernommen, ebenso wie die Travestie. utinam ipse hæc enarrare possem.“ — Quod ad allegoricas attinet personas in comicis fabulis prodeuntes cum viro doctissimo prorsus consentio, immo vero antiquam iam comœdiam Atticam ab Epicharmo eiusmodi argutias didicisse ex iis quæ supra attuli mea quidem sententia efficitur.

Postremo coniecturæ mentio fiat quam fecit de Epicharmi fabula *Ἡρακλῆς ὁ ἐπὶ τὸν ζωστῆρα* ab Aristophane respecta Crusius, Philol. vol. suppl. VI 291, qui singulare illud fragmentum (76)

(ὁ) Πυγμαρίων λοχαγὸς ἐκ τῶν κανθάρων
τῶν μεζόνων, οὕς φαντι τὰν Αἴτναν ἔχειν

ita interpretatur ut Pygmæi sint intelligendi Herculem contra Amazones profectum oppugnantes sicut in lepidissima Phi-

[27]) „Ein gesellschaftliches Witzspiel, vermittelt durch eine männliche und eine weibliche Personifikation der Redekunst, vergleichbar den aristophanischen *λόγοι.*“

lostrati (imag. II 22) descriptione, ubi eorum catervæ (*λόχοι*, cf. Ep. *Πυγμαρίων λοχαγός*) et pedibus accedunt et *πυγμαίῳ ζεύγει ἐφεστᾶσι* „und zwar nach der Vulgärsage *περδίκων* oder *κριῶν* (Ath. IX 390 b), nach Epicharm — *κανθάρων*." (de Pygmaeis cantharis insidentibus cogitarat iam Schneidewin, exerc. crit. VIII 51). Itaque vir doctus Aristophanem arbitratur Epicharmi inventionem secutum esse, cum in Pace Trygæum introducit in cantharo equitantem Aetnæo (v. 73:

εἰσήγαγ' αἰτναῖον μέγιστον κάνθαρον).

Hæc ergo sibi eruisse visus est Crusius p. 293 „die sicilische Dichtung liess die grossen *κάνθαροι* vom Aetna also Däumlinge tragen. — — Die attische Komœdie steigert das ins Groteske: der *κάνθαρος* wird mit einem leibhaftigen derben Weingärtner beladen."

Restat ut de titulorum similitudine fabularum quæ mihi videantur paucis exponam. Etenim complures titulos communes esse cum Epicharmeis demonstravit Kaibel, Hermes XXIV 54, adn. Cavendum modo est ne inscriptionibus plus quam decet credamus, nam e solis nominibus vix ad argumenta fabularum deperditarum cognoscenda aliquid effici ex eis quæ Welcker l. c. 335 disputavit perbene intellegitur. Sed ipsam appellationum fingendarum rationem quam sit simillima licet reputes necnon media quoque quæ dicitur comœdia easdem quas antiqua in nominibus eligendis videtur leges servare.

Titulus Epicharmeus *Μεγαρίς* mulierem significat, num meretricem? Scorta Megarica famosissima sunt. A mulierculis nomina imposita esse apparet fabulis Atticis hisce: *Ἀχαιίς* Alexidis, *Βοιωτίς* Antiphanis, Theophili, Diphili, *Δωδωνίς* Antiphanis, *Ἑλληνίς* Alexidis, *Περσίς* Nausicratis, *Μεγαρική* Simyli; ceterum cf. Welcker p. 304.

Ex indole moribusque personæ haustum esse potest nomen ab Epicharmo inventum *Περίαλλος*, quod Welcker l. c. vertendum vult „Obenhinaus, Besserwisser" (probant Lorenz 147, Hauler 89, negat Kaibel 111, nomen proprium esse

existimans). Welckeriana si recte sese haberet interpretatio, fabula eidem certe assignanda videtur generi atque comœdiæ antiquæ argumenta:

Ἐπιλήσμων Pherecratis, *Περιαλγής* Platonis, *Μονότροπος* Phrynichi, *Ἡδυχάρης* Theopompi, *Φιλοθύτης* Metagenis, alia. Frequentatur hoc genus in media comœdia.

Tituli heroicis personis qui debentur nonnulli obvii fiunt apud comicos Atticos fabularum Epicharmearum cognomines:

Βούσιρις Epicharmi — *Βούσιρις* Cratini, Antiphanis, Ephippi, Mnesimachi; omnes, fragmentorum si qua est auctoritas, eandem tractant materiam.

Κύκλωψ Epicharmi. — *Κύκλωψ* Antiphanis, *Κύκλωπες* Calliæ

Σκίρων Epicharmi. — *Σκείρων* Alexidis.

Φιλοκτήτας Epicharmi. — *Φιλοκτήτης* Strattidis, Antiphanis.

Interdum fit ut nomini proprio epitheton quoddam apponatur, qua in re facem comicis Atticis Epicharmum prætulisse verisimile est; exhibet hic *Ὀδυσσεὺς αὐτόμολος* et *Ὀδυσσεὺς ναυαγός*, Alexis vero *Ὀδυσσεὺς ἀπονιζόμενος* et *Ὀδυσσεὺς ὑφαίνων;* cum altero Epicharmi indice mire concordat fabula *Διόνυσος ναυαγός* Aristophani falso quidem addicta.[28]) Deinde fabulas scripsit Epicharmus *Ἡρακλῆς ὁ ἐπὶ τὸν ζωστῆρα* et *Ἡρακλῆς ὁ παρ Φόλῳ,*[29]) Nicochares *Ἡρακλῆς χορηγός* et *Ἡρακλῆς γαμῶν*, Archippus *Ἡ. γαμῶν.* Ceteroquin hanc rationem sectantur comœdiæ antiquæ fabulæ *Διόνυσος ἀσκητής* Aristomenis, *Ζεὺς κακούμενος* Platonis, *Ἥλιος ῥιγῶν* Aristonymi.

Fabulis nomina inscripta vides plurali numero formata hisce:

Βάκχαι Epicharmi. — *Βάκχαι* Lysippi, Dioclis, Antiphanis.

Μοῦσαι Epicharmi. — *Μοῦσαι* Phrynichi, Ophelionis.

---

[28]) Cf. Kaibel, Hermes XXIV 46, qui tituli formam defendit contra Kockii coniecturam sat improbabilem *Δὶς ναυαγός* p. 42, 1.

[29]) Sic enim titulum scribendum esse docuit Wilamowitz, Hermes XXXVII 325.

Σειρῆνες Epicharmi. — *Σειρῆνες* Theopompi, Nicophontis.

Κωμασταί Epicharmi. — *Κωμασταί* Phrynichi, Amipsiæ, Eubulidis.

Quæ inscriptiones fabularum Sicularum etiamsi a choro petitæ esse non possunt (cf. p. 71), tamen respicere videntur maiorem personarum quæ in fabula docenda partes agebant numerum. Minus certa res mihi videtur in his exemplis:

Μῆνες Epicharmi. — *Μῆνες* Philetæri, *Νουμηνίαι* Eupolidis.

Νᾶσοι Epicharmi. — *Νῆσοι* fabula quæ Aristophani abiudicatur, Archippo a nonnullis addicitur (Kaibel, Hermes XXIV 46), *Νῆσοι* Platonis.

Iam ad aliud genus animum attendas fabularum plurali quidem numero inscriptarum, sed quas appellationem non a choro traxisse apertissimum est. Sunt autem nomina propria *Ἀρχίλοχοι*, *Κλεοβουλῖναι*, *Ὀδυσσῆς* Cratini, *Ἡσίοδοι* Teleclidis. Quibus iam addere licet Cratineam fabulam *Διόνυσοι* inscriptam semel tantummodo commemoratam; exstat enim nomen in Ori Lexico Messanensi de iota ascripto, quod communis usus fecit H. Rabe, Rhein. Mus. 47, 406 (*Κρατῖνος Διονύσοις*)[30]), neque est cur Cratino hanc fabulam abiudicemus (cf. Kœrte, Hermes XXXIX 485). Numerus pluralis quid sibi velit divinavit iam Welcker, Kl. Schriften I 323, 17, primus diserte exposuit Wilamowitz, Herakles I[1] 55, 14, *Ὀδυσσῆς* interpretatus „Odysseuskomœdie.“ Ad eandem normam redigenda videntur nomina quædam appellativa numero plurali dicta, e. c. *Δῆμοι* Eupolidis (Wilamowitz, Aristoteles und Athen I 180 = „Volkskomœdie“), *Νόμοι* Cratini. Consuetudinem istam perantiquam arbitratur Wilamowitz l. c., optime Aeschyli memorans fabulam *Αἶτναι* inscriptam, immo ipsi comœdiæ iam Epicharmeæ hoc genus videtur proprium fuisse. Etenim poetam Siculum fabulæ cuidam *Διόνυσοι* inscripsisse testis est Athenæus (IV 158 c *E.*

[30]) Titulum ex *Διονυσαλέξανδρος* depravatum putavit Kock, Rhein. Mus. 48, 239 eique assentitus est Herwerden, Collectanea p. 3, nulla necessitate coacti.

δ'ἐν Διονύσοις), quam optimo iure Kœrte cum Cratini comœdia comparavit. Firmari crediderim opinionem nostram de origine singularis huius consuetudinis πληθυντικῶς inscribendi, si commentum liceret in usum nostrum convertere Gomperzii qui l. c. 4, 1 fabulam coniectat Rhinthonis Tarentini nomen gessisse Ἰοβάται ab Ἰοβάτης derivatum (Ἰοβάτας G. Hermann)[31]) addens „man denke an die Ἀρχίλοχοι und Ὀδυσσῆς betitelten Komœdieen." Res dubia, suspicio tamen non prorsus removenda est Rhinthonem quoque hunc pluraliter inscribendi usum servasse.

Iam in fine commentarioli mei paucis tangam quæstionem quæ non prius poterit expediri, quam Fortuna benigne integram nobis dono dederit Epicharmi fabulam. Difficillime enim diiudicatu est propter testimoniorum exiguitatem, quantum poeta Siculus auxilium adhibuerit ad totas fabulas disponendas. Cave tamen ne similitudinem in his nimiam arbitreris, immo vero satis discrepuisse comœdiam Atticam verisimile est a Doriensium ludorum genere, cui ipsum comœdiæ nomen iure denegatur, quippe cui chorus deerat (Reich, Mimus I 503 sq., Wilamowitz, Herakles I[1] 149, 53). Ceteroquin fabularum Epicharmearum compositionem ignoramus; licet eas breviores putes, quamquam ne de ambitu quidem operum certi quid enucleari potest (Wilamowitz, l. c. adn. 52). In universum fabularum structuram simpliciorem fuisse atque ab artificiosa quam Grysar olim deprehendere sibi visus erat compositione alienissimam credendum est (cf. Hauler, Xenia Austriaca p. 92). Quæ de Epicharmo laudat grammaticus ille περὶ κωμῳδίας (Kaibel p. 7): οὗτος πρῶτος τὴν κωμῳδίαν διερριμμένην ἀνεκτήσατο πολλὰ προσφιλοτεχνήσας, nostrum docent primum scenas illas ludicras, Doriensium quas proprias fuisse supra vidimus, ad minus dispersam redegisse compositionem singulis actionibus inter sese connexis. Ita quidem Bernhardy. Litt.-Gesch. II 2 p. 523 locum videtur sibi explicavisse „was nur bedeuten kann: die Komœdie verdanke dem Epicharmus eine künstlerische Haltung, da sie bisher in autoschediastische

---

31) Contra Kaibel p. 185 Herodiani secutus testimonium *Εὐνοβάται*.

Kleinigkeiten ohne Plan zersplittert war."[32]) Quam opinionem optime firmat testimonium Aristotelis Poet. 1449 b 6 τὸ δὲ μύθους ποιεῖν Ἐπίχαρμος καὶ Φόρμις [ἦρξαν]. Etenim μῦθος voci in Aristotelis definitione hic est subiiciendus sensus, ut argumenta intellegas iuncta quodammodo inter sese atque per totas fabulas continuo ordine ad finem ducta. Præclare hac de re disseruit Vahlen, Beiträge zu Aristoteles Poetik (Sitzungsber. Wien. phil.-hist. Classe L. 1865) p. 295 sqq., cuius ex disputatione efficitur μῦθος vocabulum idem prorsus significare atque σύνθεσις vel σύστασις τῶν πραγμάτων. Documento sunt Aristotelis loci 1450 a 32 τραγῳδία ἔχουσα μῦθον καὶ σύστασιν πραγμάτων, 1450 a 22 τὰ πράγματα καὶ ὁ μῦθος τέλος τῆς τραγῳδίας, 1452 a 18 ἐξ αὐτῆς τῆς συστάσεως τοῦ μύθου, 1447 a 9 πῶς δεῖ συνίστασθαι τοὺς μύθους, 1450 b 32 τοὺς συνεστῶτας εὖ μύθους, alii. Iam vero summi certe momenti est viri illustrissimi dictum in eodem libro de arte poetica 1449 b 7 τὸ μὲν (scil. μύθους ποιεῖν) ἐξ ἀρχῆς ἐκ Σικελίας ἦλθε, τῶν δὲ Ἀθήνησιν Κράτης πρῶτος ἦρξεν ἀφέμενος τῆς ἰαμβικῆς ἰδέας καθόλου ποιεῖν λόγους καὶ μύθους (λόγοι καὶ μῦθοι similem habent significationem, cf. Vahlen p. 298). Ubi Aristoteles, siquidem recte eius verba percipio, testatur Cratetem primum comicorum Atticorum fabulas docuisse comœdiæ Epicharmeæ instar compositas. Quod ad illud attinet ἀφέμενος τῆς ἰαμβικῆς ἰδέας scimus Cratetem re vera a scurrili rerum publicarum irrisione magis sese abstinuisse novis omnino studentem argumentis (Meineke, hist. crit. 59 sq.); fragmentorum enim si rationem habes et nominum fabulis inscriptorum nequaquam te latebit Cratetem Epicharmeum in modum res sibi proposuisse quæ aut fabulas spectabant mythicas aut argumenta a communis vitæ usu oblata. Statuamus igitur primo Cratetem contentius Epicharmi usum esse exemplo in fabulis condendis, etiamsi Welcker nimis audacter iudicare

[32]) Similiter iam Grysar, de Doriensium comœdia p. 71—75 et alibi, cuius interpretationem frustra redarguere conatur Welcker p. 331, anonymi verbis comœdiam significari arbitrans labefactatam, ab Epicharmo restitutam; cf. Hauler 97, 2.

videtur cum hoc comœdiæ Atticæ genus „die sicilisch-athenische Gattung des Krates“ (p. 332, 21) aut „die epicharmisch-attische“ (p. 335) dicit. A Cratetis arte haud alienum fuisse apparet Pherecratem, de quo anonymus *περὶ κωμῳδίας* (Kaibel p. 8) hæc exhibet: *ἐζήλωκε Κράτητα καὶ αὖ τοῦ μὲν λοιδορεῖν ἀπέστη, πράγματα δὲ εἰσηγούμενος καινὰ ηὐδοκίμει, γενόμενος εὑρετικὸς μύθων.* Quam prope argumenta eius accedant ad fabulas Epicharmeas observavit Welcker p. 333. Itaque hæc neque nova sunt neque permultum videntur proficere ad rationem quæ Epicharmum inter et comicos Atticos fuerit cognoscendam.

Ex iis quæ adhuc disputata sunt apparet comœdiam Atticam Doriensium ludis in universum debere scurrilem histrionum ornatum atque genus illud obscœne iocandi quod in phalli usu positum esse nemo non videt. Deinde etiam ridicula quædam momenta cum e vitæ cotidianæ consuetudine tum e mythologia petita necnon personas nonnullas comœdiæ Doricæ antiquitus proprias in comicorum Atticorum fabulas transiisse demonstravimus.

Tum vero hoc certe effecimus comœdiæ Atticæ poetas inde a Cratino fabulas Epicharmi, comicorum Doriensium illustrissimi, non solum in manibus tenuisse, sed in ipsis carminibus pangendis respexisse. Ex Epicharmi arte antilabarum et tetrametri anapæstici usus fluxit. Ex eisdem quibus ille iocorum generibus comici Attici risum captant. Non desunt argumenta Epicharmi eaque remota, Hebæ nuptias dico et Herculis apud Pholum convivium, in comœdiam Atticam recepta. Adulatores Eupolidis Epicharmei parasiti faciem ostendunt. Non omittam tot fabularum titulos comicis Atticis cum pœta Siculo communes opinioni nostræ admodum favere.

Vita.

Natus sum Arnold von Salis Basiliensis die XIX mensis Julii anni 1881 patre Jacobo Arnoldo matre Maria Hægler. Fidem profiteor evangelicam. Gymnasio Basiliensi instructus et mense Aprili anni 1900 maturitatis testimonio ornatus per quinquennium studiis philologicis et archæologicis operam dedi. Et primum quidem duos annos Basileae commoratus sum, tum vero Universitatem Bonnensem petivi, cuius per sex menses civis fui. Deinde unum annum Berolini versatus autumno anni 1903 iterum Basileam me contuli.

Docuerunt me viri clarissimi: Baumgartner, Bethe, D. Burckhardt, Dragendorff, A. Kœrte, Muenzer, H. A. Schmid, Stueckelberg, Wackernagel, Wœlfflin Basilienses; Diels, Græf, Kalkmann †, Kekule v. Stradonitz, Pernice, v. Wilamowitz-Mœllendorff, Winnefeld, Wœlfflin Berolinenses; Buecheler, Lœschcke, Radermacher, Usener Bonnenses. Exercitationibus interfui philologicis, archæologicis, epigraphicis, numismaticis.

Omnibus viris, quorum disciplina usus sum, gratias ago quam maximas, imprimis vero Alfredo Kœrte, qui et in dissertatione perficienda et multis aliis in rebus summa benignitate me adiuvit.